



Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N

RITUALE
SACRAMENTORUM

ROMANUM



GREGORII PP. XIII P. M

IVSSV EDITVM

L. II

Romæ ———— 1633





RITVALIS ROMANI LIBER SECVNDVS.



De Sacramento Pœnitentiæ præmonitiones.

TRES esse Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem, sancti Patres & sacra generalia Concilia ex diuinis litteris tradiderunt. Sed quoniam de ministro huius Sacramenti, deq. ipsa Sacramenti administratione in præsentia dicendum est, de contritione, quæ à pœnitente afferenda est ad hoc Sacramentum, vel in ipso Sacramento, Dei beneficio & confessarij industria & studio concipienda, pauca dicenda occurrunt. De confessione verò & satisfactione, in quibus Sacerdotis opera & diligentia maximè requiritur, longè plurima. Omnia verò reuocari possunt ad capita quatuor: primùm enim dicendum est de ministri qualitatibus partim necessarijs, partim valde vtilibus, vt meliùs suo munere fungi possit: deinde de modo excipiendi confessionem, & iuuandi confitentem: tertiò de pœnitentia & satisfactione imponenda, non solùm ad punitionem peccatorum commissorum, sed etiam ad præseruationem à futuris: postremò de modo absoluendi tum à censuris, tum etiam à peccatis.

De qualitatibus Confessarij.

SAcerdos antequàm ad audiendas confessiones accedat, aduertere debet quæ & quanta sit suæ iurisdictionis potestas: hæc enim præter Ordinem Presbyteratus necessaria est, vel ordinaria, vel delegata; quanquam in mortis articulo siue periculo, si proprius desit, quiuis Sacerdos potest absoluere pœnitentem ab omni excommunicatione alijsq. censuris Ecclesiasticis & peccatis quantumuis reseruatis. In mortis autem articulo constituti censentur, non solùm qui morbo graui & periculoso laborant, & qui extremo sunt afficiendi supplicio; sed etiam qui in prælij seu conflictus aut naufragij periculo versantur; & qui per loca plena hostibus iter habituri sunt: Item mulieres grauidæ, proximæq. partui, præsertim cùm viribus imbecilliores sunt, aut quæ nunquam pepererunt. In quibus & similibus casibus pœnitens absolutus, si periculum mortis euaserit, non tenebitur iterum confiteri, neque alia eget absolutione à peccatis, neque ab excommunicationibus, alijsve censuris Ecclesiasticis, sed tantùm cùm primùm commodè poterit ei se præsentare, à quo fuerat ab excommunicatione aliàs absoluendus, vt eius mandatis obediat, alioqui in eandem excommunicationem vel censuram reincidet.

Concil. Trident. sess. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 7. ad finem.

Ordinaria potestate vel delegata vti non potest excommunicatus aut suspensus, vel interdictus, nisi in articulo necessitatis.

Ordinariam potestatem habent Papa, Episcopus, Parochus, & cuicunque demum ex officio competit animarum cura: delegatam verò quibus à prędictis, vel ab alijs ad id potestatem habentibus facultas ea data est.

Sacerdos igitur, vltra quàm potestas ei data permittit, ne se ingerat; alioqui præterquàm quòd grauiter peccabit, irritum erit quod fecerit. Quocirca caueat, ne in alienæ parochiæ homines iurisdictionem exerceat, nisi ei commissum id sit ab Ordinario aut Parocho.

Peregrini tamen & incertè vagantes, qui nec stabilem sedem habent, nec certæ parochiæ sunt addicti, eligere sibi confessarium possunt quemcunque velint ex approbatis ab Episcopo loci, vbi tunc eos esse contigerit. Qui verò alicubi, etiam ad breue

tempus morantur seu diuersantur, illius censentur parochiæ in qua degunt: & idcircò vel in ea Parochiali, vel in Cathedrali Ecclesia Confessarijs deputatis confiteri possunt.

Idemq. censendum de viatoribus, mercatoribus, scholaribus, mercenarijs, & stipendiarijs, nempe hi confessarijs illius parochię in qua commorantur confiteri, & sacram Eucharistiam accipere, & à casibus Episcopalibus, vt Episcopus loci illius disponit, absolui possunt.

Nec verò hi, qui sibi Confessarium deligendi licentiam habent, quemuis Sacerdotem eligere possunt; sed tantùm illorum quempiam, qui in ea Prouincia seu diœcesi ad audiendas confessiones approbati & deputati sunt.

Neque parochus omnes in sua parochia degentes absoluere potest; sed tantùm sibi subditos: exempti enim religiosi suos habent Confessarios, quibus solis instituto proprio confiteri tenentur; nisi de licentia superiorum alijs confiteri permitterentur; vel in itinere suorum copiam non haberent.

Neque subditos suę parochię, qui religiosis aut alijs presbyteris facultatem à Sede Apostolica vel Ordinario habentibus confessi fuerint, ad sibi iterum confitendum eadem peccata cogere potest: verùm si dubitet an talibus confessi fuerint, testimonium Confessariorum ab eis debet exigere.

Et quamuis non grauatè, sed facilè & libenter Parochus suis licentiam dare debeat alteri iusta de causa confitendi; omnes tamen hortari potest, vt sibi potiùs, nisi aliud causa aliqua postulet, confiteantur; quippe cui, vt pastori proprio, illorum cura præcipuè demandata est; quiq. pro illorum animabus rationem est Deo redditurus.

Moneat verò sedulò, ne incertos Confessarios habeant huc illuc discurrentes, & subinde mutantes; sic enim fieri vt rarò corrigantur, & parum in via Dei proficiant: sed quisque certum sibi statuat Confessarium, qui omnes animæ suæ latebras norit; quiq. sciat repullulantibus vitijs obuiantia remedia adhibere.

Eos etiam qui alteri confitendi licentiam petunt moneat, vt idoneum Confessarium deligant, spectatę virtutis & doctrinæ, nec suas animas cuiuis passim committentes tanto Sacramento, quod solum post Baptismum lapsis ad reparationem relictum est, in sui perniciem abutantur.

Nouerit casus tum Episcopo, tum Sedi Apostolicę reseruatos, in primis verò in litteris quotannis die Cœnæ Domini legi consuetis contentos, easq. penes se habeat & diligenter legat. Casus quoque Episcopo reseruatos descriptos teneat & memorię commendet.

Sexta Synodus can. 102. & vlt. in fine secundi Tomi Conc. tradit de consideratione & scientia quā habere debet Sacerdos Confessarius.

Præter Ordinis & iurisdictionis potestatem, opus est Confessario scientia, prudentia & probitate; quò etiam pertinet sigillum, id est Confessionis secretum.

Scientia quidem opus est ad discernendum inter lepram & lepram, id est inter peccata, nempe iudicandum quæ grauia, quæ leuia, & quæ mortalia sint, quæ venialia. Caueat verò ne facilè pronuntiet esse mortale, quod certò nesciat tale esse: sed in dubijs inclinet ad tutiorem partem, & proprio deinde studio, peritiorumq. consilio (quod semper in rebus difficilioribus est adhibendum) rem compertam pœnitenti indicet.

Oportet autem Confessarium in primis cognoscere, vim, naturam, & effecta censurarum Ecclesiasticarum, quæ sunt excommunicatio, suspensio, & interdictum; vt intelligat quatenus in ijs sua facultas extendatur, & quomodo monere debeat pœnitentes, vt vitent nominatim excommunicatos, & publicos seu notorios clericorum percussores, ne ipsi cum ijs participando in casibus prohibitis, incidant in excommunicationem minorem.

Pręterea vt tutò possit clericorum confessiones excipere, habere debet perspecta, quę de irregularitate traduntur à Doctoribus & Summistis: quia licet illa censura non sit; est tamen canonicum impedimentum tum ad suscipiendos & exercendos Ordines, tum etiam ad alios actus legitimos peragendos, à quibus irregularis ante dispensationem sub pœna peccati mortalis debet necessariò abstinere.

Sciat

Sciat etiam casus, in quibus iteranda est confessio, vt si quis confessus sit sine vllo peccatorum dolore, aut sine proposito abstinendi à peccatis, aut aliquod peccatum mortale de industria tacuerit in confessione, aut circumstantiam peccati speciem mutantem: Item si constat Confessarium non habuisse potestatem absoluendi, aut non fuisse mentis compotem, aut adeò fuisse ignarum, vt formam absolutionis nesciret; aut denique confessionem pœnitentis non percepisse, aut eum non absoluisse.

Debet verò non solùm imperitos pœnitentes ad rectum confessionis vsum, pœnitentiæq. Sacramentum ritè suscipiendum instruere; verùm etiam duros corde ad contritionem prudenter inducere, & diuinæ tum iustitiæ tum misericordiæ commemoratione peccatis opportunè mederi; prætereà ad omne criminum genus, atque ad vitam pœnitentis rectè instituendam opportuna cuique remedia admouere.

Atque in primis personam medici gerens, illius præsertim qui nostras infirmitates tulit, quiq. contritis corde mederi venit, hilarem vultum pœnitenti demonstret: quinimò, cum infirmo infirmatus, meminerit se eiusdem naturę peccatricis & conditionis esse, atque humiliter de se sentiens, illum sibi in corde præferat.

Proinde caueat diligenter, ne propter quodcunque peccati genus pœnitentem minus hilariter aspiciat, neve vllum signum det ob eam causam auersionis. Quòd si omninò neganda vel differenda est absolutio ob aliquam causam, aut alioqui pœnitens remittendus; id benignè fiat, adhibita etiam exhortatione, ita prętereà cautè, vt nequis ex circumstantibus id possit aduertere.

Omnes ad se venientes amanter suscipiat, nec verò sine causa pręferat diuites pauperibus; notos, ignotis; doctos, indoctis. Quòd si omnes non possit, eos priùs audiat, qui plus indigere videbuntur, vt qui rariùs confiteri solent, & qui si tunc non confiteantur, non sint ampliùs fortasse redituri, vt serui, famuli, rustici, & similes, qui facilè venire non possunt ad Ecclesiam confitendi gratia. Quotquot autem eo die audiri non possunt, ij benignè monendi seu rogandi, vt commodiori tempore reuertantur.

Prudenter etiam se gerat in interrogationibus faciendis, nempe cautè, honestè, non prolixè aut superfluè, vt infrà suo loco dicetur.

Non facilè ante restitutionem eos absoluat, qui, cùm possint, quod debent non restituunt.

In exhortationibus & correctionibus ita se gerat, vt pœnitentem nec valde deprimat cum desperationis periculo: nec verò ita in spem erigat, vt in præsumptionem inducat.

Atque hæc pauca de scientia & prudentia: ad quas tamen & vitę probitatem & integritatem à Deo impetrandam, meminerit frequentem orationem, frequensq. Missæ sacrificium, & diligens pręterea studium adhibere. Caueatq. magnopere ne ea admittat, quæ sit in alijs ipse reprehensurus; turpe est enim non facere, quod alios doceas, aut facere quod reprehendas.

Ad hoc Sacramentum ministrandum accedat compositus, interiùs quidem magna conscientiæ puritate, reuerentia, timore, & humilitate. Exteriùs verò eo vultu, gestu & habitu, quo par est eum, qui Dei locum teneat & personam gerat.

Idcircò antequàm ad audiendas confessiones sedeat, se & negotium, quod tractandum suscipit, Deo bonorum omnium auctori sedulò commendet, & ante altare genibus flexis adoret, diuinumq. ad id imploret auxilium; vt sibi ad iudicandum, sapientiam; ad medendum, consilium; ad miserendum, pietatem; pœnitentibus verò cor contritum & humiliatum largiri dignetur. Et, si vacat, congruentem aliquam orationem, veluti sequentem dicat.

Oratio.

Domine Deus omnipotens propitius esto mihi peccatori, vt dignè possim tibi gratias agere, qui me indignum, per tuam misericordiam ministrum fecisti sacerdotalis officij, & me exiguum humi-

lemq. mediatorem cõſtituiſti ad orandum Dominum Deum noſtrum Ieſum Chriſtum pro peccantibus & ad pœnitentiam reuertentibus,& ad intercedendum apud eum pro ipſis. Ideoq. dominator Domine, qui omnes homines vis ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; qui non vis mortem peccatorum, ſed vt conuertantur & viuant, ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam & miſericordiam tuam confugiunt. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Vel ſaltem dicat aliquam iaculatoriam deprecationem, cuiuſmodi eſt.

COr mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Sigillum confeſſionis ita ſeruet, vt nulla de cauſa, nullius auctoritate aut imperio, nulloq. modo audita in confeſſione cuiquam reuelet aut ſignificet, niſi de pœnitentis licentia; qua tamen, niſi iuſta cauſa poſtulet, vti non debet. Cùm ergo de re quapiam in confeſſione audita conſulendus ei aliquis fuerit, ita cum illo agat, vt is de confitente quis fuerit, ne ſuſpicari quidem poſſit. Quòd ſi quis ab eo ſub iureiurando extorquere vi conetur aliquid confeſſione auditum, ſi aliter non poſſit ſubterfugere, iurare licebit, ſe nihil de ea re ne confeſſione quidem ſcire, intelligendo ſcilicet ſe nihil ſcire, quod ſic extorquenti dicere debeat.

Interrogatus ab aliquo, an pœnitentem abſoluerit, reſpondeat ſe feciſſe quod debuit.

Moneat verò pœnitentem, vt & ipſe confeſſionis ſecreta nemini prodat.

Caueat etiam ne propter audita in confeſſione faciem minus hilarem, aut minus benignam quàm priùs ſoleret, pœnitenti extra confeſſionem oſtendat; neve eum ob cenſuram in confeſſione cognitam à ſacris arceat.

Dum confitentem alloquitur, vocem ne extollat, nec indignationem præſeferat, neque eos geſtus faciat, quibus circunſtantes commoueri aliquo modo poſſint; neminemq. propè manere ſinat; ſed iubeat circumſtantes longè recedere. Omnem denique operam adhibeat, ne quid confeſſionis ab alijs cognoſci poſſit; adeoq. pœnitentias ne imponat, per quas peccatum pœnitentis ab alijs deprehendi queat.

Parochus ſæpe ſuos hortationibus & commonitionibus tum publicis tum priuatis ad Sacramentalem confeſſionem incitet & inducat, doceatq. in primis curæ eis eſſe debere, vt animas ſuas frequenti peccatorum confeſſione expurgent. Difficile eſſe ei, qui raró confitetur plenè de omnibus confiteri, & integrè ſatisfacere. Nihil animæ pernicioſius eſſe, quàm diutius in peccato mortali perſeuerare. Peccatum namque (vt Beatus Gregorius ait) quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit: contraq. nihil magis ſalutare homini, quàm peccatum ſtatim vt patratum fuerit confiteri. Quare aſſueſcant ſaltem menſe quolibet ſemel confiteri, aut præcipuis quibuſque per annum feſtis diebus; maximè verò Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Natiuitatis Domini, Epiphaniæ & in capite ieiunij: omnem deniq. diligentiam adhibeat ad frequentem in ſua parochia confeſſionis & communionis vſum inducendum.

Doceat prætereà ſuos teneri quemque confiteri, non ſolùm ſemel in anno, ſed etiam quotieſcunque mortis periculum imminet, aut alioqui Euchariſtiæ Sacramentum ſumendum erit.

Appropinquante autem quatrageſimali tempore, & per ipſam etiam Quatrageſimam, & quandoque extra eam, publicet parochus ſtatutum illud inſigne Innocentij

centij Papæ III. in Concilio generali editum, vt omnis vtriusque sexus fidelis postquàm ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitẽtiam proprijs viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

Cap. Omnis vtriusque de pœnit. & remiss.

Horteturq. suos, vt maturè & diligenter se ad confessionem pręparent & confiteantur, nec finem Quadragesimæ expectent, præsertim qui rariùs confiteri solent; tunc enim confitentium multitudine Confessarij obruti, vix possunt talibus satisfacere: multo esse consultius initio Quadragesimæ confiteri, cùm confessarijs magis vacat audire, deinde prope Pascha reconciliari, atque ita sacrum Domini nostri Iesu Christi corpus, tanquam in monumentum nouum, puram scilicet conscientiam & cor mundum excipere.

Et quoniam plerunque contingit vt pœnitentes, præsertim fœminæ, alicuius peccati in præcedenti confessione prætermissi memores, ad priorem Sacerdotem ob verecundiam, aut aliquam aliam causam non satis idoneam redire non audeant; sæpe tum publicè tum priuatim suos moneat, vt cùm id acciderit, ad eundem Sacerdotem reuertantur: quanquam interdum dissimulandum est, ijsq. permittendum, vt alteri potiùs Sacerdoti confiteantur, quàm ad altare Domini indignè accedant.

De modo excipiendi confessionem, & iuuandi pœnitentem.

VIdeat autem parochus seu quiuis alius Confessarius cùm est confessiones auditurus, primùm ne ad tale tantumq. ministerium accedat inductus cupiditate vel curiositate, aut alia quauis praua aut vana intentione; sed sibi proposito solùm honore Dei, & animarum salute.

Confessiones, præsertim fœminarum, nisi necessitas vrgeat, non alibi audiat quàm in Ecclesia & patenti loco, non autem in sacellis remotis & obscuris, nec in cubiculis & priuatis locis.

Sedes pœnitentialis in Ecclesia loco patenti & aperto collocetur; sic autem construatur, vt inter Confessarium & pœnitentem tabula consistat cum fenestella ferrea siue ænea perforata, ad quam sic excipiatur confessio, vt Confessarius faciem pœnitentis non possit aspicere. In qua verò Ecclesia plures fuerint Confessarij, sedilia confessionalia eodem modo constructa, in vna ex Ecclesiæ nauibus, si commodè fieri potest, inter se aduersa ponantur, vt & Confessarij ipsi sese inuicem intueri queant. In ea ergo superpelliceo & stola violacei coloris indutus (nisi fuerit regularis; huic enim sufficit habitus regularis, si est à seculari distinctus; alioquin & superpelliceo & stola induatur) facta priùs (vt dictum est) oratione, sedeat decenter & compositè grauitatem retinens & honestatem, præsertim cùm mulieres audit vel adolescentes. Ab ea autem sede ante completam confessionem nunquàm, nisi vrgenti de causa discedat; si quando verò discesserit, redeat quamprimùm.

Pœnitentem quoque decenter se componere doceat; si arma gerit, deponere iubeat; si immoderato corporis cultu & ornatu accedit, benignè corripiat, & suadeat vt ornatum illum priùs deponat, & postea redeat. Id verò tum præcipuè agendum, cùm mulieres nimis fucatæ accedunt.

Ad confessionem accedentem benignè excipiat, cum grauitate tamen, ne vel sola benignitas contemptum pariat, vel grauitas sola terrorem incutiat. Moneat verò, nisi ille sponte sua faciat, vt vtrumque genu flectat, signo crucis se muniat, & capite demisso manibusq. iunctis dicat, Confiteor Deo &c. vsque ad verba, Ideo precor, exclusiuè. Quòd si adeo rudis esset, vt id nesciret, adiuuet Sacerdos, & si opus sit vulgari sermone.

Deinde si pœnitentem non nouit, primùm interroget de statu suo, sitne clericus, an laicus; quòd si clericus, secularisne an regularis, & an sacris ordinibus initiatus: si fuerit regularis, nisi alioqui facultatem habuerit, ipsum non audiat, sed ad suum

ſuperiorem remittat. Si ſecularis, ſitne beneficiatus, aut in aliqua dignitate conſtitutus: Si laicus, coniugatusne an ſolutus; priuatus, an magiſtratu aliquo fungens, ſeu officio, & quo: plurimùm enim refert hæc primùm habere perſpecta; ſic enim commodiùs interrogabit, & cuiuſque ſtatus propria non aliena.

Poſtea interroget quampridem ſit confeſſus, an pœnitentiam iniunctam perfecerit; an in præteritis confeſsionibus ſuæ conſcientiæ ſatisfecerit, an aliquod peccatum in illis ſtudioſè ſubticuerit. Id quod ſi accidiſſet, iteranda eſſet confeſſio. Quærat etiam an nunc confeſſurus, conſcientiam ſuam priùs diſcuſſerit, & in perueſtigandis peccatis diligentiam adhibuerit, ſeq. ad confeſſionem ritè præparauerit. Quòd ſi ſine dolore vllo ad hoc Sacramentum veniſſe deprehendatur, aut alioqui imparatus, monendus eſt, vt ſe de integro præparet, & poſtea redeat. Quòd ſi aut non facturus, aut non rediturus videatur, & dicat ſe aliquo modo conſcientiam diſcuſsiſſe, iubeat eum Sacerdos quæ recordatur ſincerè & cum diſplicentia confiteri; tum diligenter eum interroget, & ſic adiuuet, vt ſit integra tandem & perfecta confeſsio. Id etiam ſeruandum eſt, ſi periculum mortis vel phreneſis imminet.

Si Sacerdos deprehenderit pœnitentem in excommunicationem aliquam incidiſſe, à qua eum non poſsit abſoluere, ad ſuperiorem remittat, vel ipſe ab illo facultatem abſoluendi obtineat. Quòd ſi per iudicem fuiſſet denuntiatus excommunicatus, remittendus eſt ad eum, vt ab excommunicatione abſoluatur, & ipſe poſtea à peccatis abſoluet. Itidemq. ſi habet caſus alios reſeruatos, remittendus erit ad ſuperiorem; vt ab eo facultas abſoluendi obtineatur.

Si in aliquam hæreſim ſeu errorem contra fidem lapſus fuiſſet, eumq. aliquo exteriori actu vel ſigno expreſsiſſet, remittendus eſt ad Ordinarium, vel ad Inquiſitorem loci, monendusq. vt ei omnes ſuos errores & hæreſes fateatur; complices quoque, fautores & receptatores denuntiet.

Quòd ſi pœnitens pudore vel timore ad id induci non poſsit; aut ſi aliàs aliquo iuſto impedimento, veluti ſtatus, officij, ſexus, carceris, vel clauſuræ regularis fœminarum detineatur, quo minus illos per ſeipſum adire queat; tunc pro loco & tempore, tacito nomine & conditione pœnitentis, conſulendus eſt idem Ordinarius vel Inquiſitor, aut alius ſuperior qui habeat poteſtatem.

Si comperiat pœnitentem in ſtatu eſſe peccati mortalis, in eoq. velle perſeuerare, vt ſi inimici odium nolit deponere, vel illi humiliter veniam petenti dilectionis ſigna exhibere; aut concubinam abijcere & eius conſuetudine abſtinere: aut occaſionem peccati mortalis à ſe remouere, vt perniciosum aliquod commercium, aut exercitium, aut officium, aut malè acquiſita, aut alioqui debita reſtituere; aut ſi ſit clericus beneficiatus, & incompatibilia habeat beneficia, aut nullo, maloue titulo, nec ſit paratus relinquere, vel alia via ſuæ conſcientiæ conſulere; aut ſi tonſuram & habitum clericalem non deferat, cùm ſit beneficiatus vel in ſacris Ordinibus conſtitutus, nec legitimam excuſationem habeat: tales, ſi ſtatum peccati relinquere nolunt, eaq. omnia facere ad quæ tenentur, dimittendi ſunt, neque cum his tempus fruſtra conſumendum; niſi ſpes aliqua ſit fore, vt in confeſſionis progreſſu in melius mutentur. Cùm autem dimittuntur conſilio iuuandi ſunt, & monendi, vt per eleemoſynas & alia bona opera ſe ad Dei gratiam diſponant.

Paratum confiteri Confeſſarius hortetur, vt quæ in mentem venerunt & memoria tenet peccata ipſe ſua ſponte confiteatur: quòd ſi malit interrogari, tamen ei perſuadeat vt priùs peccata dicat quæ meminit, ſaltem grauiora; ſe poſtea vbi opus fuerit de reliquis interrogaturum.

Confiteri incipientè attentè audiat, nec interrumpat, etiamſi ille inordinatè confiteatur; niſi obiter de aliqua circunſtantia peccati interrogandus eſſet vel monendus; ne aliquam perſonam nominet, neve ſuperflua dicat, aut vt verbis honeſtis in confeſſione vtatur, aut aliquid non ſatis perceptum clariùs explicet. Caueatq. ne dum ille peccatum aliquod quantumuis graue narrat, indignationis aut horroris ſignum oſtendat: neque tunc eum reprehendat, aut peccata eius exaggeret, ſed patienter

expectet

expectet vsque ad finem; ne si eum tunc corripiat, deterritus peccata reliqua non audeat confiteri; quinimò benignè ad dicendum cum fiducia animet, & adiuuet, & quamdiu dicit patienter audiat.

Vbi dixerit se omnia quæ meminit confessum, interroget eum, an aliquod peccatum habeat, quod non nisi interrogatus prę pudore confiteri audeat, prę sertim si mulier vel puer fuerit: hi enim ob verecundiam peccata sua celare solent. Quod si fateatur; aut alioqui ex gestibus vel nutibus deprehendat Cōfessarius aliquod peccatum reticuisse, beneuolum se illi prębeat, ac hortetur ad omnia sincerè coram Deo detegenda; quòd si nondum persuadetur, terroribus ex diuina vltione in eos qui sacrilegè sanctis Sacramentis abutuntur eum inducat: Vbi verò peccatum quod tacuerat dixerit, curet Sacerdos, vt sacrilegium quod ille in prioribus confessionibus, aut in ea ipsa, quæ tunc fit, peccatum tacendo commiserat, agnoscat, & cum dolore confiteatur.

His peractis procedat confessarius ad interrogationes faciendas, ad quas pœnitens verè, integrè, & liberè certa pro certis, dubia pro dubijs vt respondeat, curet.

Sit autem prudens & cautus in interrogando, ne pœnitentes, prę sertim pueros, & puellas peccata doceat, quæ ignorant; neve tentationes eis, aut sibijpsi excitet, abstineatq. à curiosis, inutilibus, & superfluis, nimijs denique interrogationibus, idq. præsertim cùm mulieres audit, cum quibus breuiter quantum potest, agendum est.

Ei verò qui sæpe & rectè confiteri solet, prætermissis interrogationibus sufficiet audita confessione pœnitentiam iniungere & absoluere; nisi remedium aliquod, aut consilium, aut exhortatio, aut instructio aliqua adhibenda sit.

Ordinatè autem interrogandus est pœnitens, iuxta personæ tamen qualitatem, primùm quidem an sciat Pater noster, Aue Maria, Credo in Deum, & præcepta Decalogi. Quæ si nesciat, grauiter increpandus est, eiq. pręcipiendum, vt quamprimùm illa addiscat. Deinde diligenter interrogandus est de peccatis commissionis & omissionis cum circumstantijs eorum necessarijs circa decem præcepta Decalogi, & septem peccata capitalia, & opera misericordiæ tam corporalia quàm spiritualia, & circa virtutes Theologicas & morales seu cardinales, & quinque sensus corporeos; denique circa pręcepta Ecclesiæ vel communia, vel pœnitentis personæ accommodata. Quòd si pœnitens sufficienter peccata confessus esset, non est cur alijs interrogationibus fatigetur: neque verò cùm erit interrogandus, necesse erit ordine dicto illum semper interrogare, sed illa tantùm, quæ videbuntur necessaria.

Neque cum infirmis grauiter laborantibus, & qui ob vim morbi vel phrenesi, vel lethargia facilè corripiuntur, ordo prædictus erit seruandus; sed de grauioribus tantùm delictis, quantum per tempus licuerit erunt interrogandi.

Peccatorum numerum & circunstantias versu illo comprehensas,

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

vt res postulauerit diligenter exquirat. Sit tamen circumspectus in Venereis, vt à communibus & leuioribus incipiat, quę si non agnoscit pœnitens, ne de magis particularibus & grauioribus interrogetur, vt si de impuris cogitationibus, vel de contactu aliquo inhonesto interrogatus, neget se in eis peccasse, non descendendum vlterius ad hunc vel illum modum contactus; aut ad hanc, vel illam speciem luxuriæ: habita autem specie & verisimili numero peccatorum ad alias circunstantias minimè necessarias non progrediendum. Si tamen ipsi pœnitentes eas dicere velint, non renuendum, dummodò in infamiam alicuius personæ non vergant, sed potius in maiorem & pœnitentis confusionem, & peccatorum declarationem. Necessarias verò, vt quæ speciem peccati mutant, Confessarius ne omittat; vt si pœnitens virum percussisse se dicat, quærat clericumne an laicum: si mulierem cognouisse, solutamne an nuptam; & an virginem, Deove sacratam: si rem abstulisse, sacramne, an non sacram, & an de loco sacro vel profano: quantum etiam abstulerit quærendum est; nec enim qui parum & qui multum abstulit æqualiter peccasse putandi sunt.

Circa numerum autem peccatorum, animaduertat Confessarius, ne nimium subtiliter

illum inuestigando, pœnitenti molestus sit. Satis est enim, vt plus minus pœnitens quantum meminisse potest, dicat in quaque peccati specie quoties deliquerit.

Interrogetur etiam quamdiu in peccato mortali permanserit, & quoties in illud ipsum reciderit occasiones præbendo, aut non remouendo: id enim ad pœnitentis statum dignoscendum, & remedia opportuna adhibenda plurimùm confert.

De peccati socijs seu complicibus nec interrogetur, neque reuelare sinatur, nisi quatenus ad integritatem confessionis, & ad salutare remedium pœnitentis necesse videbitur.

Postremò interrogetur nunquid aliud ei in mentem veniat: Quòd si negabit, tunc Sacerdos ex his quæ ille confessus est, maiora peccata colligens eorum grauitatem exaggeret, ostendens quàm grauiter & turpiter Deum offenderit, qui post lauacrum Baptismi, totq. alia Dei beneficia, eo contempto, Diaboli se seruituti addixerit, reumq. fecerit æterni supplicij. Vt autem ad maiorem cognitionem miseri status illum inducat, ostendat ei grauitatem culpæ ex peccato Angelorum, quod tam seuerè à Deo punitum est: itemq. ex peccato nostrorum parentum, quod in totum humanum genus propagatum Deus nonnisi filij sui cruciatibus acerbissimis, & morte voluit expiari. Exponat etiam ei quàm seuerè Deus olim peccatores punierit, vt Sodomitas, Pharaonem, populum Hebræum, aliosq. plurimos, præsertim verò exépla adducat punitionis aliquorum criminum, quæ se pœnitens commisisse confessus est, vt vel sic ad detestationem illorum maiorem & contritionem inducatur.

Audita itaque confessione, & non antea, Sacerdos pœnitentem iuxta personæ & peccati qualitatem corripiat, terroremq. diuinæ vindictæ, nisi à peccatis abstineat, si præsertim agrestior & durior sit, incutiat. Nam sapientiores & dignitate aliqua excellentes cum dexteritate, & quadam lenitate corripiendi sunt.

Id autem curet præcipuè Confessarius, vt dolorem de peccato maximum concipiat pœnitens, idq. principaliter ob Dei offensam, timoreq. filiali ducatur potiùs quàm seruili, quem dolorem, si in se non sentiat, vel de eo ipso doleat. Debet verò Confessarius ipse quoque ex affectu charitatis condolere, & compati, idq. præseferre, vt id sentiens pœnitens eò magis ad dolendum excitetur. Quòd si is dolorem sufficientem, & propositum abstinendi à peccatis præ se tulerit, non est cur multis ad illorum detestationem & euitationem inducatur: approbando quod ipse de se sentit, erit potiùs consolandus, & consilio in posterum iuuandus.

Quòd si viderit pœnitentem gemitibus & lamentis cruciari, benignè eum subleuet, & spe veniæ consoletur, proposita diuina misericordia, ijsq. peccatoribus, qui eam post grauissima peccata per pœnitentiam sunt consecuti, vt Dauide, Publicano, Peccatrice, & Petro, & alijs multis: Deum cor contritum & humiliatum non despicere, Christum non venisse vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, pro ijs eius sanguinem effusum: Denique Christum in cruce expansis brachijs pœnitentes expectare, & ad se vt veniant inuitare.

Si qui animo sunt deiecto, eos exemplis diuinæ misericordiæ erigat. Interdum etiam peccata eorum extenuet quantum licet, vt animo quieto sint, & conscientia tranquilla. Quinetiam si opus sit, recipiat se pro illis Deo responsurum.

Si peccata sua nullo modo detestari, nullumq. dolorem ostendere videatur: quinimò varijs modis à Sacerdote ad sui compunctionem excitatus, nihil tamen commoueatur, neque proponat in posterum à peccatis, aut peccatorum occasionibus abstinere, nullo modo absoluendus est; sed consilio & hortationibus paternè monendus, ac demum dimittendus.

Caueat Sacerdos, ne dum nimium aggrauando peccata pœnitentem ad contritionem inducere conatur, illum in desperationem aut diffidentiam inducat: itemq. ne peccatum dubium pronuntiet mortale.

Moneat eum ad benè viuendum, recteq. fungendum officio seu arte quam profitetur, & exuendum penitus omnem peccati affectum, eiusq. memoriam ac recordationé, qua ad recidiuum pertrahi posset, prorsus delendam: quin potius recordetur quàm

grauis

grauis pœnæ persoluendæ factus sit reus, quam dolore assiduo & congruenti satisfactione redimere debet. Tametsi enim de diuina misericordia, & de vi Sacramenti Pœnitentiæ, & legitimi Confessarij auctoritate nefas est dubitare; atque idcirco sperare potest se virtute clauium ex attrito factum esse contritum, & perfectam, quoad culpam, peccatorum suorum remissionem consecutum: meminisse tamen oportet non debere cum de cętero esse securum, vel in bonis operibus remissum, monente scriptura: De propitiatu peccatorum noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum. Itemque: Nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit. Et rursus: Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? *Eccli.5.b* *Eccls.9.a* *Prouerb.20.b*

Hortetur tribulatos ad patientiam exemplo Christi & Sanctorum: infirmos autem ad præparationem sui exitus, si tunc fortè contingat, ex hac vita.

Obseruet autem Confessarius affectus & inclinationes pœnitentis, excitetq. eum ad conflictum cum ijs, quibus potissimum in peccata impellitur: idq. per orationem, & per renouationem propositi abstinendi à vitio, & per quotidianum examen propriorum actuum & cogitationum, quod bis quotidie, scilicet manè & vespere, vel semel saltem in die vt faciat docendus est. Itemq. vt quotidie manè Deo primùm gratias agat pro beneficijs omnibus: tum gratiam ab eo petat, qua possit omnia cauere peccata, & pro admissis veniam roget, proponens in posterum emendationem: postremò se totum offerat in Dei obsequium. Simpliciores autem & rudiores monendi, vt manè per aliquot Pater noster, & Aue Maria contra malas cogitationes se muniant: vespere autem antequàm cubitum eant, vt gratias agant Deo de beneficijs eo die acceptis, & veniam petant de commissis cum proposito se emendandi.

Hortandi præterea omnes, vt quotidie aliquid de vita & passione Domini, & nostræ redemptionis mysterijs iuxta rosarium B.Mariæ Virginis, vel alium orandi modum, meditentur: ea enim meditatione, & in tentationibus tutiores futuros, & ad diuini amoris ignem in se concipiendum aptiores.

Item, vt quisque aliquem sibi sanctorum in patronum deligat, cui peculiares preces quotidie porrigat; præ omnibus verò gloriosam semper virginem Dei genitricem Mariam in aduocatam; seq. vt exerceat in lectione spiritualium librorum, vt conciones & lectiones sacras audiat, frequentet Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ; proborum denique & spiritualium consuetudine & consilio vtatur.

Si fortè pœnitens dicat, se ad aliquem statum religionis interiùs vocari; exquirat Confessarius qua ille intentione moueatur; & quàm sæpe hanc inspirationem senserit: quem si perseuerantem in bono proposito viderit, laudet, & consilio adiuuet, vt scilicet in religionem eam ingrediatur, in qua obseruantia vigeat regularis. Quòd si nondum statuisset omninò ingredi, hortetur vt assidua oratione petat diuinam sibi voluntatem demonstrari.

His omnibus cum pœnitente pro illius qualitate & captu actis, antequàm ei pœnitentiam & absolutionem Sacramentalem tribuat, interroget (nisi id aliter appareret) an de peccatis doleat propter Deum, velitq. cauere in futurum quantum in se est, & an propositum habeat satisfaciendi & vitam emendandi: quæ si desint, ad ea illum diligenter hortetur.

Quòd si restitutiones aliquas facturus est damni, rei, aut famæ proximi, imponat illi vt quamprimùm restituat. Si occultum est damnum, nec expedit manifestari, clam per fidelem aliquam personam restituatur. Malè ablata certorum dominorum illis restitui faciat: Incertorum verò dominorum, vel certorum; quando non extant ij, quibus restitutio facienda est, si facta diligentia dominus non reperitur; pauperibus Ecclesijs, & pijs locis erogentur, secundum regulas debitæ restitutionis: nisi fortè casus fuerit reseruatus Episcopo; quia tunc eius arbitratu erogatio fieri debet. Quòd si quis sæpius in alijs confessionibus restituturum se promisit, nec fecit, & potest restituere, ne absoluatur priusquàm restituat.

Eos qui publicè peccauerunt & scandalosè non absoluat, nisi publicè satisfaciant & scandalum tollant.

Coniuges

Coniuges non legitimè separatos, nisi ad cohabitationem redierint, ne absoluat.

Eum qui aliquid vouit, & sibi commutari votum petit, aut dispensari: si Confessarius facultatem dispensandi aut commutandi non habet, vel ad habentem auctoritatem remittat, vel ipse ab habente obtineat.

Animaduertat etiam quando plenaria indulgentia in forma Iubilei, cum facultate Confessorem quemcunque eligendi, & à quibusuis casibus & censuris absoluendi cōceditur, non propterea quemuis Sacerdotem, sed tantùm qui ab Ordinario iuxta decretum generalis Concilij Tridentini admissus & approbatus fuerit, huiusmodi concessionis vigore confessiones audire posse; neque verò sic approbatum dispensare super irregularitate, aut alijs, quæ in Bulla Iubilei prædicti specificata non fuerint: aliud enim est concedere facultatem absoluendi, & aliud dispensandi.

Sess. 23. de reform. cap. 5.

Postquàm pœnitens & restituturum, & alia quæ debet se facturum promiserit, antequàm Confessarius eum absoluat, imponat ei pœnitentiam seu satisfactionem Sacramentalem. Qua in re grauiter errant, qui omnibus fermè vnam atque eandem pœnitentiam absque vllo delectu imponunt; cùm debeat pœnitentia esse peccatis aut æqualis, aut paulò minor & medicinalis. Ea verò, ex sanctorum Patrum sententia, consistit, vel in ieiunijs, vel in orationibus, vel in eleemosynis: ad quæ tria omnes aliæ pœnitentiæ reduci possunt; ad ieiunium scilicet omnia quæ corpus affligunt, & macerant; vt abstinentiæ cibi & potus, flagellationes, cilicia, vigiliæ, chameuniæ seu humi cubationes & incommodæ dormitiones, vt super tabulas aut stramen, peregrinationes, genuflexiones multæ aut diuturnæ cum prolixa oratione. Item omnia Dei flagella, vt infirmitates, inopia, & aliæ huiusmodi tribulationes, mors denique ipsa patienter tolerata. Ad orationem autem spectant non solùm orationes vocales & mentales, sed etiam examen conscientiæ quotidianum, lectio librorum spiritualium, auditio Missæ & diuinorum Officiorum, & verbi Dei, visitatio Ecclesiarum, & similia ad Dei cultum pertinentia. Ad eleemosynas verò reducuntur non solùm pecuniæ erogatio, sed aliorum quorumcunque bonorum in pauperes distributio, visitatio infirmorum, carceratorum, Hospitalium, susceptio peregrinorum & eiusmodi alia misericordiæ opera. Habenda verò semper tam in ipsis peregrinationibus, & visitationibus sacrorum locorum, quàm in alijs pijs operibus pœnalibus & laboriosis, peccatorum, personarum, & locorum ratio; ita vt pœnitens non deterreatur, nec verò remissus aut tepidus reddatur. Et quantum fieri potest, pro mensura peccati plagarum modus esse debet: ac secundum qualitatem criminum satisfactio iniungenda.

Curet autem præcipuè vt satisfactio sit infirmitatis spiritualis medicamentum, nouæ vitæ custodia, & præteritorum peccatorum vindicta & castigatio.

Vt autem sciat qualem debeat vnicuique pro peccatorum ratione satisfactionem imponere, notos habere debet veteres canones pœnitentiales, qui etsi non sint omnino in vsu, possunt tamen plurimùm conferre ad pœnitentias iniungendas, vt ad eorum normam quantum fieri possit, quantumq. nostrorum temporum conditio patitur, sese accommodet, saltem vt pœnitentibus interdum significare possit, quæ pœnæ secundum eosdem canones eorum peccatis constitutæ sint, vt ex earum magnitudine suorum scelerum grauitatem magis agnoscant, & ad maiorem contritionem excitentur, & ideo inferius referuntur.

Verùm quia præcipuus iniungendæ pœnitentiæ scopus esse debet, vt pœnitentis saluti consulatur, non tam delictorum quantitatem aut qualitatem Confessarius, quàm pœnitentis conditionem consideret: adeoq. pro ætate & qualitate cuiusque ei pœnitentiam iniungat: non parum enim refert quod ad id attinet, sitne pœnitens vir, an fœmina; coniugatus, an solutus; religiosus, an laicus; Neophytus, an diu in fide versatus; in dignitate constitutus, an priuata persona; senex, an iuuenis; diues, an pauper; robustus, an debilis; dominus, an seruus; vrbanus, an rusticanus; intelligens, an rudis; denique qua sit professione vel arte, & quo ingenio. Vt plurimum autem mediocritatem teneat, nec rigidior æquo sit vel mitior; ne in iniungendis pœnitentijs

tijs

tijs vel nimia indulgentia pœnitentes segniores reddat, & ipse alienorum fiat particeps delictorum; vel nimia seueritate eos ab explenda satisfactione deterreat. Quinimò si in alteram partem declinandū sit, in mitiorem potiùs inclinet, dulcemq. se & lenem, quàm acerbum & seuerum præbeat. Omninò autem ijs, qui non videntur pœnitentiam magnam impositam expleturi, paruam imponat: præstat enim ad Purgatorium mittere benè sperantes de Dei misericordia, quàm desperatos ad Infernum. Hi tamen quibus exigua pœnitentia iniungitur, docendi quantò maiorem mereantur eorum peccata, nisi forte nimia ex eo pusillanimitas illorum seu animi deiectio timeretur. hortandiq. & animandi ad voluntarias pœnitentias: quod enim hic perfectæ pœnitentiæ defuerit, in Purgatorio esse luendum.

Infirmo pœnitentiam difficilem ne imponat; insinuet tamen ei pœnitentiam quam facere deberet si sanus esset, eamq. iubeat facere si conualuerit: vt & infrà de confessione infirmorum.

Commutet etiam aliquando Sacerdos pœnitentiam, si pœnitens non libenter iniunctam suscipit, vt ieiunia in orationes, eleemosynas in peregrinationes, vel è conuerso: Et licet per alium etiam pœnitentiæ explendæ, vt peregrinationis & pietatis opera iniungi interdum possint: monendus est tamen pœnitens, quòd per alium explens fructu eo pœnitentiæ & vtilitate, quam affert ad sanandos prauos animi affectus carebit: & ideo curet per seipsum potius satisfacere quàm per alios.

Et quoniam pœnitentiæ medicinæ quædam sunt, quarum natura est, vt per contraria fiant, apponenda sunt (vt Beatus Gregorius dicit) contraria medicamenta peccatis; nempe carnalibus, ieiunia, abstinentiæ, disciplinæ, peregrinationes, aliæq. carnis macerationes, & inseruire Hospitalibus aut carceribus. Illis autem, qui hæc minus pati possunt, vel quibus tales pœnitentias iniungi non expedit, eleemosynæ pro puellis nuptui tradendis, vel in Monasterio collocandis imponantur: pro elationis & superbię vitio, opera humilitatis imponat; vtq. pœnitens oret & meditetur vilitatem humanæ conditionis; visitet etiam Hospitalia, & illic cibos administret, lectos sternat, aliaq. eiusmodi humilia opera faciat; cœmeteria, vbi ossa multa congesta apparent, visitet; morientibus assistat, & ad sepulturam etiam comitetur; eleemosynas etiam pro pijs operibus ab alijs petat. Pro auaritia, eleemosynarum largitionem, adeoq. vt Hospitalia & alia miserorum loca visitet, vt ad misericordiam commoueatur: ne cum auaris & pecuniarum cupidis versetur; Dominum Iesum Christum in cruce nudum contempletur, & interdum cœlum suspiciat, vt sibi terrena ista vilescant. Quare ijs qui idem peccatum sæpius iterarunt, & facilè ad vomitum redeunt, quiq. grauiora commiserunt, grauiora imponenda: quia vulnus repetitum & grauius difficiliorem habet curationem. Iuuat etiam pro atrocioribus criminibus aliquando (etiamsi ipse Confessarius habeat facultatem absoluendi) ad Pœnitentiarium Episcopi pœnitentem mittere. Cùm peccatum graue publicum fuerit, publicam pœnitentiam imponat. Quòd si flagitia; enormia fuerint, & eiusmodi vt totam Ciuitatem scandalizauerint, pœnitentia publica & solennis erit imponenda; sed id per Episcopum, qui quarta feria in capite ieiunij ab Ecclesia pœnitentem expellat, & quinta feria in Cœna Domini in Ecclesiam introducat, & reconciliet. formam per omnia in Pontificali præscriptam obseruando; qui mos iamdiu intermissus, ad reprimenda scelera, in Ecclesijs Cathedralibus, quantum fieri potest, restituatur. Huiusmodi tamen solennis aut publica pœnitentia clericis ne imponatur, nisi in casibus à iure declaratis. Neque etiam laico propter occultum peccatum Sacerdos publicam pœnitentiam imponat.

Caueat autem ne pœnitentiam iniungat, per quam alieno iuri præiudicium afferatur, quale est si seruo peregrinatio, aut ieiunium magnum; filiofamilias magnæ eleemosynæ largitio; coniugato abstinentia diuturna imponatur; neve pro occulto peccato eam imponat, ex qua aut suspicio peccati, aut scandalum aliquod suboriri possit.

Neve etiam in detrimentum salutis animæ vel corporis ipsorum pœnitentium, qualis

esset

esset peregrinatio fœminis, præsertim iuuenibus, melancholico ieiunium panis & aquæ.

Caueat insuper, ne in eleemosynarum pœnitentia iniungenda quicquam sibi, etiam sub specie illas per se pauperibus dispensandi, dari præcipiat; sed sublata omni auaritiæ suspicione, cuncta pijs locis & pauperibus iubeat erogari: nec pœnitentem magis ad vnum, quàm ad alterum pium locum obliget; sed hortetur vt potiùs tribuat magis indigenti, & vbi opera charitatis maiora fiunt, vel fierent si suppeterent facultates.

Similiter cùm in pœnitentiam iniungit, vt Missas aliquas, veluti pro peccatis, pro remissione, aut etiam pro tribulatione peccatorum, vel pro tentatis & tribulatis, aut similes, quæ habentur in Missali pro ipsis pœnitentibus vel alijs, aut etiam de Requiem & pro defunctis celebrari, aut illarum Collectas dici faciat, caueat ne sibi eas celebrandas assumat, eoq. sibi eleemosynas dari iubeat. Denique vt omnem speciem auaritiæ vitet, ne minimum quidem signum cupiditatis pœnitenti præbeat, adeoq. nec suam ei indigentiam patefaciat, aut alicuius rei desiderium quoquomodo significet.

Munera etiam à pœnitentibus ne accipiat, ne libertate tantopere necessaria se priuet eos, cùm opus est, in confessione corripiendi, aut aliquo modo necessitatem sibi imponat in eorum vitijs conniuendi.

Iniuncta pœnitentia hortetur vt illam libenter suscipiat, qui si videatur renuere, nitatur ei & rationibus & exemplis persuadere. Quòd si omnino adimplere nolit, siquidem grauis fuerit, diminuat; admonendo tamen nisi satisfecerit in præsenti vita, grauiora multò eum in futura manere. Quandoque etiam differat absolutionem per aliquot dies, quò ille meliùs interim disponatur; idq. præsertim cum illis faciendum, qui facilè relabuntur, vt propositum eorum magis exploretur. Si autem pœnitentiam iniunctam admittat, & adeò rudis sit, vt vel non intelligat quæ iniunguntur, vel facilè obliuiscatur, iubeat repetere antequàm discedat. Poterit etiam, si timet ne non impleat, alternatiuè hoc vel illud imponere tali aut alio tempore ab ipso pœnitente eligendo. Horteturq. vt pœnitentiam iniunctam in gratiæ statu implere curet.

De remedijs peccatorum.

VErùm quoniam primarius pœnitentiæ fructus est vitæ mutatio, & perceptæ gratiæ conseruatio, ita debet Confessarius pœnitentem instituere, vt intelligat debitorem se esse non carni, vt secundum carnem viuat; quia si secundum carnem vixerit, morietur: si autem spiritu facta carnis mortificauerit, viuet. Hortetur itaque illum, vt assiduis precibus perseuerantiæ donum ab eo petat, qui potens est eum, qui stat statuere, & eum qui cadit restituere, & pro cuiusque statu & conditione ea consilia ac remedia præbeat, quibus contra tentationes & peccata, eaq. præcipuè ad quæ propensior videbitur, sese diligenter muniat; ne si, quod absit, iterum redeat ad vomitum, fiant nouissima illius peiora prioribus.

Rom. 8. c
Concil. Trid. sess. 6.
2 Petri 2. in fi.
Luc. 11. d

Itaque moneat illum, vt aliquam certam orandi ratione̅ ineat, manè præsertim quando surgit, & vesperi antequam cubitum eat conscientiam suam semel saltem quotidie examinet; si ad id aptus videatur, pijs meditationibus sese exerceat, certis quibusdam sibi propositis capitibus, vt de grauitate, turpitudine, ac malitia peccati, de morte, de extremo iudicio, de pœnis inferni, de gloria Beatorum, de animæ dignitate ac pulchritudine, quam Dei imagine, similitudineq. insignitam, nefas est scelerum cœno sordibusq. fœdari. De seueritate qua Deus etiam in hac vita plerunque peccata punit, vt accidit in peccato primorum parentum, totius mundi tempore Noe, Sodomitarum, Pharaonis, Nabuchodonosor, Antiochi, Herodis & aliorum, quę in sacris litteris ac sanctis Patribus frequenter leguntur. De multiplici detrimento peccati, quo Dei gratia ac Spiritus sancti donis, conscientiæ puritate, pace, ac solatio, meritis bonorum operum, coniunctione cum Christo, quæ pendet à charitate, iure

Iure denique æternæ felicitatis consequendæ meritò priuamur: contrà verò à Dei filiatione deiecti, incidimus in miseram diaboli ac peccati seruitutem, auersionem à Deo, eiusq. indignationem & inimicitiam, & qui inde sequitur, reatum damnationis sempiternæ. De singulari Dei in nos amore, atque eximijs beneficijs creatione, redemptione, vocatione, iustificatione, & iustificationis instrumentis, idest sacrosanctis Sacramentis, quibus multiplici gratia contra varia vitia armamur. Præcipuè verò de vita & morte Christi, vnde omnium virtutum exempla hauriuntur. Curet etiam vt assuescat, quantum cuiusque status & conditio patitur, pios libros legere, vt præter sacras litteras, aliquot sanctorum Patrum tractatus & sermones, Sanctorum vitas, collationes Patrum, & inde diligenter excerpere, quæ sibi vsui esse possint. Tentationibus, initio præsertim, acriter resistat inuocato quamprimùm IESV & Mariæ Virginis nomine, & si commodè possit corporis oculos, vel certè mentis aciem ad Christum de Cruce pendentem conuertat, eius opem in præsenti periculo auxiliumq. ardenter imploret. Occasiones præterea peccandi & vitiosorum hominum consuetudinem diligenter vitet, sensus corporis, cogitationem, & imaginationem, quoad eius fieri potest, à rebus noxijs ac periculosis auocet, & ad ea potiùs conuertat, quibus ad Dei timorem atque amorem vehementiùs inflammetur. Sacramenta, præsertim Confessionis, frequentet, contra peculiaria vitia, quibus præcipuè impugnatur, singulare quasi certamen suscipiat; & cùm manè surgit, petat à Deo gratiam, qua possit eo die ab illo vitio vel peccato cauere: proponat se diligenter daturum operam, quantum in se erit, vt nullo modo Deum, illo præsertim crimine offendat: si forte labatur, aliquam subitò spontaneam pœnitentiam subeat, vel pectus tundat, vel sibi in corde signum crucis exprimat, vel genibus flexis breuem aliquam orationem recitet; vel terram osculetur; vel denique quippiam simile faciendum suscipiat, quoties in eiusmodi peccatum inciderit: & quod caput est, post lapsum primo quoque tempore confiteatur; ne si peccatum diutiùs in eius conscientia hæserit, suo illum pondere mox in alia trahat, & latens virus in apertam pestem erumpat. Confessarium verò (quem eundem semper, quantum fieri potest, habere debet, non huc illuc vagando obuio cuique confiteri) eligat, non qui sibi blandiatur & benigniùs indulgeat: sed qui, iuxta Apostolum, arguat, obsecret, increpet in omni patientia & doctrina, quique pietate, religione, & sacrarum litterarum scientia instructus suis morbis mederi sciat & velit, & viam veritatis & salutis ostendere.

2.Tim.4.a

Gregor. VII. in Synodo Romana anno Domini 1080.

Doceat quæ sint propria cuiusque peccati ac morbi spiritualis medicamenta: nam superbiæ remedia sunt frequens humiliatio ac deiectio sui; in vilibus sese atque abiectis operibus exercere; cum pauperibus & infimæ conditionis hominibus versari; nouissimum semper locum sibi deligere; cultum, atque ornatum vestium contemnere; in omnibus singularitatem vitare; Christi, Beatissimæ Virginis ac Sanctorum humilitatem spectare, eamq. sibi ad imitandum proponere: recordari quàm sit superbia Deo inuisa, qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit; superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: quiq. etiam superbientes angelos sempiterno supplicio damnauit.

Proderit etiam miseram hominis conditionem sedulò ac diligenter meditari, vt corporis coagmentationem, materiæ vilitatem, tenuitatem virium, multiplices necessitates, postremò mortem, qua redigitur in puluerem, fœtorem, vermium denique escam & putredinem. Animæ verò inscitiam, leuitatem, inconstantiam, perturbationum pugnam, propensionem ad malum, difficultatem ad bonum, sua cuiusque vitia & peccata, quibus assiduè impugnatur, & non rarò succumbit: aliorum contra virtutes, à quibus longissimè abest; suorum, si quæ forte habeat, bonorum exiguum numerum & imperfectionem: quæ tamen ipsa Dei dona sunt, vt nullam ex ijs laudis aut gloriæ particulam ad se deriuare possit, iuxta illud Apostoli: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1.Cor.4.B

Si quis inuidiæ morbo laboret, is diligenter considerare debet primùm huius vitij auctorem

ctorem esse diabolum; effectum verò mortem, quia rectè dictum est: Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Inde profluxit malorum illa colluuies, quæ nos in hac vita continenter premit: præter ea quæ ipsam inuidiam comitantur, quibus inuidi animus perpetuò torquetur, cuiusmodi sunt animæ cruciatus, carnis afflictio, exiccatio sanguinis, amarulentia, pallor, & alia eiusdem generis permulta. Accedit quòd inuidia est veluti venenum charitatis, eius præcipuè quæ proximis debetur, quos non modò naturæ socios; sed eorundem bonorum gratiæ & gloriæ participes habemus. Itaque exercere se debebit in actibus, præsertim internis, dilectionis & charitatis, optando, & quantum fieri poterit procurando aliorum commoda. Denique id sibi in animum inducere debet, nihil inuidiam prodesse, plurimùm verò nocere; esseq. vitium eiusmodi, quod non modò Deum offendat; sed ipsam quodammodo hominum societatem oppugnet.

Acediæ verò & spiritualis negligentiæ torporem curare poterit vitæ breuitatis recordatio, otij & desidiæ periculum, à quo Sapiens exemplo formicæ nos reuocat. Deinde consideratio conditionis nostræ, qui ad laborem & ad operandum nascimur, proposito à Deo non solùm præmio benè agentibus, sed etiam otiantibus supplicio: militiam esse humanam vitam: vndique imminere certamina & hostium insidias; nullam esse inimicorum quietem, nullum illos finem facere oppugnandi. Quocirca nullum socordiæ aut desidiæ reliquum locum esse debere. Rectè enim nos obiurgat B. Augustinus illis verbis: Hostis vigilat, & dormis tu? Frequenter igitur in mentem

Rom. 13. c — reuocanda sunt verba illa Apostoli Pauli: Hora est iam nos de somno surgere: nunc

2. Petri 1. b — enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Itemq. illa B. Petri: Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.

Luxuriæ verò remedia, præter ea quæ carnem affligunt, de quibus supra dictum est, præcipua sunt sensuum custodia, ne mors per fenestras ingrediatur: cùm (quemadmodum ait B. Gregorius) non liceat aspicere, quod non liceat concupiscere; mulierum familiaritates, & alias periculosas consuetudines vitare, choreas, spectacula impudica, lasciuas cantilenas, & symphonias, superflua conuiuia, aliasq. omnes voluptatis illecebras auersari ac fugere, à lectione & collocutione rerum amatoriarum abstinere: fœminarum quarum suspecta sit vita, nec salutationes, nec munuscula, nec litteras accipere; neque ad illas mittere; mnemosyna, quæ ad memoriam dantur, apud se, aut illarum effigies non retinere; otium tanquàm certissimam ac præsentissimam pestem, omni studio à se remouere; delicatioribus vnguentis, aut odoramentis non oblectari; minima quæq. pericula magnifacere; non sibi multum tribuere, aut suis viribus fidere; primos tentationum motus, & exorientes cogitationes subitò opprimere; & mortis, inferni, aut passionis Christi recordatione, libidinis ignem restinguere; patri spirituali & Confessario latentem morbum indicare; illius consilium & orationis auxilium apud Deum implorare. Sæpe animo versare huius fœdissimi vitij damna & incommoda partim corporalia, partim spiritualia, partim temporalia, partim etiam æterna. Siquidem momentaneum est quod delectat; contra verò æternum quod cruciat. Recordari eorum, qui propter hoc vitium malè perierunt, subita præsertim morte correpti, & illorum qui fortiter restiterunt, & gloriosissimam victoriam reportarunt, ad quam non tam certando quàm fugiendo aspirandum est.

Hæc eadem fermè valent contra gulam: quæ tamen proprias habet curationes ac suas. Si quis secum frequenter reputet quàm paucis natura contenta sit; quantopere illa quæ pro oblectando corpore tam studiosè comparantur ipsi corpori obsint; cùm inde tam multa morborum genera existant, præter mentis stuporem atque hebetudinem, otium, ignauiam, & alia innumerabilia mala, quæ ex gula nascuntur: cùm re-

Exodi 32. b — ctè à sanctis Patribus obseruata sint verba illa: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere; quasi à gulæ vitio orta sit idololatria; imò verò nimium ciborum studium, genus quoddam sit idololatriæ: cùm Paulus dicat de quibusdam:

Philip. 3. d — Quorum Deus venter est. Denique in mentem reuocanda est abstinentia, & seuera

illa

illa ieiunia, quæ olim apud Sanctos erant in vsu: qui propterea ad virtutum ac perfectionis apicem summa cum laude peruenerunt.

Auaritiam curare possunt frequens meditatio breuitatis vitæ, & mortis quotidie imminentis, quando cuncta necessariò relinquenda erunt, iuxta illud quod dictum est à Domino: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti cuius erunt? *Lucæ 12.c* Recordatio præmiorum, quæ manent eos, qui bona huius vitæ liberaliter dispensauerint; de quibus Christus: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Lucæ 16.b* Rursus: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, & facite vobis sacculos, qui non veterascunt; thesaurum non deficientem in cœlis. *Matth.6.c* *Lucæ 12.d* Plurimùm etiam proderit diligenter perpendere, quàm sit detestabile auaritiæ vitium: rectè enim ait Salomon: Auaro nihil esse scelestius. *Eccli.10.b* & Apostolus Paulus cupiditatem vocat malorum omnium radicem; *1.Tim.6.b* & auaritiam idolorum seruitutem, *Ephes.5.b* & sancti Patres vix aliud vitium æquè atque auaritiam detestantur. Quare frequentandæ erunt pro cuiusque statu eleemosynæ, illaq. Tobiæ verba sæpe in mentem reuocanda: Ex substantia tua fac eleemosynam; & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini: quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude: præmium enim bonum thesaurizas in die necessitatis. *Tobiæ 4.b* Qui pauperes sunt, ab auaritia reuocari poterunt, si sedulò meditentur verba illa Christi: Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini: nonne anima plus est quàm esca, & corpus plusquàm vestimentum? *Matth.6.c* *Luc.12.c* Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea; & pater vester cœlestis pascit illa. nonne vos magis pluris estis illis. Atque ita discant nimiam rerum terrenarum curam ac solicitudinem exuere, & de diuina prouidentia plurimùm confidere. Diuites verò recordentur, se magnam Deo rationem reddituros, si superflua suæ personæ ac statui retinuerint, vt sancti Patres communi consensu grauissimis verbis docuerunt. Magna etiam pericula ijs imminere, qui diuitijs coaceruandis dies noctesq. insudant, quod Apostolus Paulus illis verbis declarauit: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. *1.Tim.6.b*

Contra odium, iram, & appetitum vindictæ, magnam vim habent diligens ac studiosa meditatio patientiæ Christi, qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur non comminabatur: imò cùm adhuc inimici essemus, ipse pro nobis mortuus est. Exempla Sanctorum, qui, vt de se scribit Paulus, maledicebantur & benedicebant; persecutionem patiebantur, & sustinebant; blasphemabantur, & obsecrabant. Crebrò meminisse illius parabolæ de seruo, qui debebat decem millia talenta, quem Dominus ob id tortoribus tradi iussit, donec redderet vniuersum debitum, quòd noluisset conserui sui misereri. *Matth.18.* Hæc est enim illius parabolæ clausula: Sic pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis hominibus de cordibus vestris. Iuuerit etiam iniurias ab hominibus acceptas in diuinam prouidentiam referre, qui nos permittit varijs modis tentari. Quod faciebat Dauid, cum de Semei, qui sibi dira imprecabatur, magna cum animi moderatione dixit: Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? *2.Reg.16.b* Denique meminisse oportet, quàm multa & quàm grauia quotidie nobis à Deo condonanda sint, quæ qua fronte nobis remitti à Deo petemus, qui odium atque iram in fratrem reseruamus? Rectè enim Salomon: Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? *Eccli.28.a* Et Christus non aliter in oratione Dominica remissionem petendam docuit, quàm ea ratione, qua nos proximo dimittimus: Dimitte (inquit) debita, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Matth.6.b*

Denique ne singula percenseantur, ijs qui blasphemiæ vitio laborant, cauenda est inprimis ira & occasiones irascendi, ludendi consuetudo, vnde vt plurimum oriuntur blasphemiæ, iurandi vsus, lingua denique cohibenda, ac diligenter custodienda.

Huius

Huius porrò peccati grauitas, turpitudo, periculum etiam atque etiam meditanda, collectis hincinde exemplis eorum, qui ob tãtum scelus in hac vita grauissimas pœnas dederunt. Danda diligenter opera, vt assuescant, Deum frequẽter & Sanctos laudare & benedicere; vt irati silentiũ, quoad fieri potest, seruent; vt piam erga Deum & diuina omnia affectionem concipiant; vt Dei, Sanctorumq. nomina præcipuo honore colant, vt frequenter suis orationibus gratiam petant, vt à tam periculoso morbo liberentur, & ad id impetrandum aliquam pœnitentiam suscipiant: aliquã item proponant sibi faciendam, si fortè contingat illos aliquando blasphemare. Postremò multa ex ijs, quæ suprà vniuersim contra omnia vitia proposita sunt, aduersus hoc peccatum vim præcipuam habent.

His aut similibus remedijs oportet esse instructum Confessarium, ad varios animi morbos pœnitentium curandos: ideoq. vt norit suo quæq. loco aptare, & varios animorum motus, ea qua decet prudentia tractare, flectere, intendere, aut remittere, vt res postulauerit, necesse erit eum habere collecta multa virtutum ac vitiorum documenta, exempla & præcepta, quibus mores & vita hominum institui & corrigi potest. Quæ omnia facilè sibi comparabit ex frequenti lectione librorum spiritualium, assidua meditatione, ac feruenti oratione, qua se ac pœnitentes Deo, Beatæ Virgini, & Sanctis omnibus commendet, semperq. ob oculos habeat Christum Redemptorem nostrum, qui venit in hunc mundum peccatores saluos facere; quiq. vt bonus pastor errantem in montibus ouem centesimam, relictis nonagintanouem, diligentissimè conquisiuit, & aliquando inuentam, ad ouile suis ipse humeris reportauit. Illud denique Euãgelici Samaritani exemplũ sibi ob oculos proponat, qui vino & oleo, hoc est rigore ac seueritate cũ lenitate mansuetudineq. coniunctis, iacẽtis vulnera curauit. *Luc. 10.*

Vbi verò pœnitens iniunctam pœnitentiam suscepit, iubeat per se, vel ipso Confessario adiuuante Latina aut materna lingua dicere:

IDeo precor beatam Mariam semper virginem, B. Michaelem Archangelum, B. Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, & omnes sanctos, & te Pater orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Quibus dictis, Sacerdos eum absoluat primò ab excommunicatione ad cautelam, si non constet eam incurrisse. Si autem incurrit, & sit declaratus excommunicatus, auctoritatem absoluendi habeat per sufficiens mandatum, & in absolutione ab excommunicatione maiori, ob ius tertij violatum, seu iniuriam factam alicui, exigat ab excommunicato, vt satisfaciat priùs parti offensæ, vel cautionem det satisfaciendi, aut saltem iuret, cùm primum poterit se satisfacturum.

In grauissimis quoque criminibus idem seruandum est, vt à pœnitente iuramentum exigat, quòd talia in posterùm non committet.

Quòd si fuerit crimen hæresis, schismatis, vel apostasiæ à fide, & ipse Confessarius facultatem habeat eum absoluendi in foro conscientiæ, tunc faciat illum primùm hæresim, schisma vel à fide apostasiam huiusmodi in ipso Sacramento Pœnitentiæ citra scriptum verbo detestari, anathematizare, & abiurare, ac iureiurando præstito promittere, quòd de cætero ab ijs, atque alijs similibus excessibus penitus abstinebit; deinde illum à sententia excommunicationis, alijsq. Ecclesiasticis censuris & pœnis, iniunctis pœnitentijs salutaribus & alijs iniungendis, iuxta facultatem, in foro conscientiæ duntaxat absoluat, ac in gremium sanctæ matris Ecclesiæ recipiat & reconciliet.

Si excommunicatio fuerit publica, excommunicatus publicè absoluatur sub formula inferiùs posita, cum psalmo, Miserere, & alijs requisitis.

Post absolutionem ab excommunicatione, absoluat à peccatis, vt infrà ponitur.

CANONES POENITENTIALES.

QVIA suprà dictum est, quòd Sacerdos Confessarius scire debet veteres canones pœnitentiales, non vt omninò [1] necessarios, sed vt vtiles ad pœnitentias iniungendas; vtq́. tam ipse quàm pœnitens peccatorum grauitatem ex pœnis in eis impositis agnoscât, & ad pœnitentias iniunctas libentiùs implendas, vel aliter etiam à seipso vltrò exigendas pœnitens faciliùs adducatur; ideo hoc loco referuntur, vt sequitur.

1 Sed quia 39 distinct. cap. Quæ ipsis. ex dictis B. Augustini de certis libris Ecclesiasticis, & inter eos dicitur de Canone Pœnitentiali, qui ipsis Sacerdotibus necessarij sunt ad discendum. & ibi subditur. Ex quibus omnibus si vnus defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit. Ideo per dictum tex. dixerunt Doctores, quòd Sacerdos tenetur scire canones pœnitentiales, alioquin vix in eo nomen Sacerdotis constabit, per d. cap. Quę ipsis. vt Ostien. in summa de pœnitentijs. §. Vt autem Sacerdos. in princ. ibi, nam canones pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, vel aliàs vix in eo nomen Sacerdotis constabit, secundùm Augustinum 38. distin. quę ipsis &c. Et summa Confessorum lib. 3. tit. 34. q. 125. col. 3. vers. Et vt Sacerdos cautius in speciali pœnitentias arbitretur &c. ibi canones pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, aliàs vix nomen Sacerdotis constabit secundùm Augustinum &c. Et S. Antoninus parte 3. summę, tit. 17. cap. 21. §. 5. circa princip. ibi, canones pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, alias vix in eo nomen Sacerdotis constabit &c. & alij. At in eo cap. Quę ipsis. non dicitur, vt scire teneatur, sed quòd illos habere debeat vt necessarios ad discendum, non autem quòd Sacerdos scire teneatur &c. Et ita etiam habet Beda in suo Pœnitentiali cap. 1. §. Nunc ergo ô fratres.

Antiqui Canones Pœnitentiales.

PRimus est, quòd si presbyter fornicationem fecerit, quanquàm secundum canones Apostolorum debeat deponi, tamen iuxta auctoritatem beati Papæ Siluestri, si in vitio non perdurauerit, sed sua sponte confessus adiecit vt resurgat; decem annis in hunc modum pœniteat: tribus quidem mensibus priuato loco à cęteris remotus pane & aqua à vespera in vesperam vtatur; tantùm autem diebus Dominicis & præcipuis festis modico vino & pisciculis atque leguminibus recreetur, sine carne & sagimine, ouis, & caseo; sacco indutus humi adhæreat; die ac nocte iugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret. Finitis tribus mensibus continuis exeat: tamen in publicum non procedat; ne grex fidelis in eo scandalum patiatur. Nec enim debet Sacerdos publicè pœnitere sicut laicus. Postea aliquantisper resumptis viribus, vnum annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis & præcipuis festis, in quibus vino & sagimine, ouis & caseo iuxta canonicam mensuram vti poterit. Finito primo anno & dimidio, corporis & sanguinis Domini, ne induréscat, particeps fiat, & ad pacem veniat: psalmos cum fratribus in choro vltimus canat; ad cornu altaris non accedat; iuxta Beati Clementis vocem, minora gerat officia. Deinde verò vsque ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore, exceptis Paschalibus diebus, tres legitimas ferias in vnaquaque hebdomada in pane & aqua ieiunet. Expleto septimo anni circulo, si sui fratres apud quos pœnituerit, eius condignam pœnitentiam collaudauerint, Episcopus in pristinum honorem, iuxta B. Calixti Papæ auctoritatem, eum reuocare poterit. Sanè sciendum est, quòd secundam feriam vnum psalterium canendo, aut vnum denarium pauperibus dando (si operarius est) redimere poterit. Finitis autem septem annis, deinde vsque ad finem decimi anni sextam feriam, nulla interueniente redemptione, obseruet in pane & aqua.

Eadem quoque pœnitentia erit Sacerdoti de omnibus alijs peccatis & criminibus, quę

eum in depositionem inducunt. Neque hoc cuilibet videatur onerosum; si Sacerdos post lapsum dignè (vt suprà dictum est) pœnitens, ad pristinos redeat honores, lxxxij. dist. cap. vlt. Presbyter si fornicationem fecerit, ex Concilio Hibernensi.

Quod intelligitur quando crimen est manifestum, & quidam intelligunt de simplici fornicatione: alij fortè melius, secundum Rain. de adulterio vel incestu, puta quia cognouit coniugatam, consanguineam vel affinem.

Secundus est, quòd si presbyter cognouit filiam suam spiritualem (quam scilicet baptizauit, vel in Baptismo, vel in Confirmatione tenuit, vel quæ sibi peccata sua confessa fuit) ab omni officio deponitur, & peregrinando duodecim annos pœnitere debet, & postea Monasterium ingredi, & ibidem cunctis diebus vitæ suæ Deo seruire. Episcopus verò, qui talia commisit, pœnitere debet quindecim annis, si tamen crimen sit manifestum. Ipsa verò mulier debet omnia sua relinquere, & res suas pauperibus tradere, & conuersa vsque ad mortem in Monasterio Deo seruire, xxx. q. 1. Si quis Sacerdos. & cap. Non debet. ex Cœlestino Papa.

Tertius est, quòd qui contrahit cum aliqua alteri desponsata per verba de præsenti, ipsa dimissa quadraginta diebus ieiunet in pane & aqua, & sequentibus septem annis pœniteat, cap. Accepisti. de sponsa duorum. ex Burchardo libro xix. cap. v. §. Accepisti.

Quartus est, si pater & filius, aut duo fratres cum vna muliere, aut si cum matre & filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus aliquis concubuerit, secundùm antiquam & humaniorem definitionem octo annis pœniteat, xxx. q. iiij. Si pater. ex Concilio Chalced.

Quintus, Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, & sororem soror ab eodem antea stupratam nescierit; vel si ipse sororem eius, quam antea stuprauerat non intellexerit; si dignè pœnituerint & se continere non valuerint, post annos septem coniugia illis non negentur. Si autem non ignorauerint, vsque ad mortem à coniugio abstineant, cap. Si quis cum duabus. xxxiiij. q. j. & ij. ex Concilio Triburiensi cap. xlv. & facit Concilium Vuormaciense cap. xxxiij. Si quis cum duabus fuerit sororibus.

Sextus, si quis cum matre & filia fornicatus est, ignorante matre de filia, & filia de matre, ille nunquam accipiat vxorem: illæ verò, si voluerint, accipiant maritos. Si autem hoc scierint, ipsæ fœminæ absque maritis perpetuò maneant, cap. Si quis cum matre & filia, eadem xxxiiij. q. j. & ij. ex eodem Concilio Triburiensi (licet in impresso non reperiatur) & cap. Si quis cum matre & filia. xxxv. q. ij. & iij. ex Concilio apud Vermerias, quod forsan est Vuormaciense, vbi habetur cap. lxiij. Si quis cum matre & filia.

Septimus est, quòd si filia Episcopi vel presbyteri, vel Diaconi deuota fuerit (id est Deo votum fecerit) & contraxerit matrimonium, non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto pœnitentiam egerit: si autem eo viuente decesserit, & pœnitentiam egerit, & communionem petierit, tantùm in fine vitæ eam accipiat xxvij. q. j. cap. De filia. ex Concilio Toletano primo cap. xix. & ex Martino Archiepiscopo Bracarensi in collectione Capitulorum Synodorum Græcarum, cap. xxx.

Octauus est, quòd si deuota post votum peccet, non est recipienda in Ecclesia, nisi peccare desierit, & desinens egerit pœnitentiam aptam annis decem: postea recipiatur ad communionem; & antequàm in Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium Christianæ mulieris accedat; & corruptorem par pœna constringat, eadem xxvij. causa & q. j. ex eodem Concilio Toletano j. cap. xvj. & Martino Bracarensi in collectione prædicta cap. xxxj.

Nonus est, quòd mulier quæ nupsit viro, cum quo antea, viuente primo viro, mœchata est, pœnitentiam legitimam agat quinque annis, & postea ad communionem recipiatur, xxxj. q. j. Si qua fuerit vidua mœchata. ex Concilio Eliberino cap. lxxij. Si qua vidua fuerit mœchata.

Decimus est, quòd quicunque illa incontinentia, quæ contra naturã est (propter quam

ira

ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque Ciuitates igne consumpsit) deprehensi fuerint laborare; si clerici fuerint, deijciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiam in Monasterijs detrudantur; si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni, de excess. Prælat. cap.Clerici, ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cap.xj. Aliter verò secundùm distinctionem personarum traditur in Pœnitentiali Theodori, apud Burchardum Episcopum Vuormaciensem libro xvij. cap.xxxiiij. & ex dictis sancti Basilij, cap.xxxv.

Vndecimus, quòd si quis cum bestijs seu brutis animalibus coierit, siquidem hoc scelus ante xx.annos suæ ætatis admiserit, xv.annis in humilitate subiaceat ad Ecclesiæ ianuam; & post hos, alijs quinque annis in orationis communionem receptus pœnitentiam agat; & sic gratiam suscipiat Sacramenti. Si autem post xx. habens vxorem in hoc peccatum irruerit, xxv.annis humilitati subiaceat, & quinque annis orationibus tantùm communicans, posteà recipiat Sacramentum. Quòd si hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, Sacramentum in exitu tantùm consequatur. Oportet autem tales in Ecclesia inter energumenos orare, ex Concilio Ancyrano cap.xv. & xvj. secundùm primam versionem, & cap.xvj. & xvij. iuxta secundam & tertiam; & apud Martinum Bracarensem in collectione Græcarum Synodorum cap. lxxxj. & Rabanum in libro Pœnitentium cap.vj. & Burchardum eodem libro xvij. cap. xxx. & cap.xxxviij. ex Pœnitentiali Romano. Et vbi dicitur inter energumenos orare, alij dicunt inter hiemantes siue Audientes orare, vt explicat Theodorus Balsamon in Nomocanone Photij, super dicto canone xvij. Concilij Ancyrani.

Item de eo, qui cum pecude vel cuiuslibet animalis commistione peccauerit, apud Burchardum ibidem cap.xxxij. ex Pœnitentiali Theodori, & cap.xxxiij. ex Pœnitentiali Romano, & Iuonem Episcopum Carnoten. in suo decreto parte ix.cap.cvij. ex Martino Bracarensi, citato cap.lxxxj.

Duodecimus est, quòd presbyter siue parochialis siue quilibet etiam regularis, qui interest clandestinis vel interdictis coniugijs, ab officio per triennium suspendatur, grauiùs puniendus, si culpæ grauitas postulauerit, cap. Cùm inhibitio §. vlt. ex Innocentio III. de clandest. despons. in Concilio generali cap.lj.§.vltimo.

Verùm hodie ipso iure incurritur in suspensionem ab officio, etiamsi prætendatur priuilegium vel immemorabilis consuetudo, ex decreto sacri generalis Concilij Tridentini sess. xxiiij. de reformat. matrim. cap. j. §. Si quis parochus, vbi sic habet: Si quis parochus vel alius Sacerdos siue regularis, siue secularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur.

Decimustertius est, quòd qui votum simplex violauerit, pœniteat tribus annis, xxvij. dist. cap.Si vir. ex Pœnitentiali Theodori.

Decimusquartus est, quòd qui excommunicatus celebrauerit (præterquàm quòd in irregularitatem ipso facto incurrit) sacra communione saginatus debet continuis tribus annis per hebdomadam omni secunda, quarta, & sexta feria à vino & à carne penitus ieiunare, xj.q.iij. De illis. ex Ioanne Papa VIII. De pœna verò depositi seu verbaliter degradati celebrantis, habetur L. distinct. Accedens. ex S.Gregorio Papa libro quarto Regesti epistola v. seu cap.xlix.

Decimusquintus est, quòd si quis voluntariè homicidium fecerit, perpetuò pœniteat, & in fine vitæ ei communio detur, cap.Si quis voluntariè. ead. dist. L. ex collectione Martini Bracarensis cap. lxxviij. & ad idem est Concilium Ancyranum cap. xxij. in princ. Sed si sit presbyter & perpetuò pœniteat, & sine spe restitutionis deponatur, eadem distinct. L. Miror. ex eodem Ioanne Papa VIII. Aliter verò distinguitur in cap.Si quis homicidium. eadem distin. L. videlicet, vt si sit Episcopus xv. annos pœniteat & deponatur; cunctos quoque dies vitæ suæ peregrinando finiat: presbyter duodecim annis pœniteat, tres (aliàs quatuor) ex his in pane & aqua, & deponatur

ſuperioris ſententia: Diaconus x. annis pœniteat, tres ex his in pane & aqua: Clericus & laicus ſeptem annis pœniteat; tres in pane & aqua, & ad gradum cuiuſlibet ſacri Ordinis accedere non præſumat.

Decimusſextus eſt, quòd homicida caſualis pœniteat quinque annis, cap. Eos verò. ead. L. diſtinct. ex eodem Concilio Ancyrano citato cap. xxij. §. Eos verò. iuxta editionem ſecundam (quod intelligitur ſi culpa caſum præceſſit: aliter verò non; niſi fortè ad cautelam) & ibidem cap. Si qua fœmina. ex Concilio Eliberino cap. v. quod etiam habetur in Concilio Vuormacienſi cap. xxxix. & ibid. cap. Si quis voluntariè. §. Si autem non voluntariè, ſed caſu aliquo. ex Martino Bracarenſi in citata collectione, eodem cap. lxxviij.

Decimusſeptimus eſt, quòd ſi quis fecerit homicidium in obſidionis & alia neceſſitate euitabili, pœniteat duobus annis, præcitata diſt. L. cap. De his clericis. ex Concilio Jlerdenſi cap. j. Sed ſi neceſſitas ineuitabilis eſſet, in nullo ſibi imputaretur, eadem diſt. L. cap. Quia te. ex Stephano Papa V. Quod verum eſt quoad culpam: ſed bonum eſſet, quòd pœniteret ad cautelam, & ad innocentiam ſuam Eccleſiæ oſtendendam, de homicid. cap. ij. §. vlt. ex Pœnitentiali Romano.

Sed & ſi quis per inſaniam committit homicidium, non ei imputatur, iij. q. ix. Indicas. ex Nicolao Papa I.

Decimusoctauus eſt, quòd ſi quis intuitu diſciplinæ incautè percutiendo occiderit, ſi in ſacris eſt, ab altaris miniſterio abſtineat, & perpetuò deponatur, de homicid. Preſbyterum qui. ex Alex. Papa III. & xv. q. j. Si quis non iratus. ex opere imperfecto in Matthæum, adſcripto S. Ioanni Chryſoſtomo, homilia 28.

Decimusnonus eſt, quòd ſi quis furem vel latronem occultum occidit, quem viuum comprehendere poterat abſque occiſione, quadraginta diebus non intret Eccleſiam, & per eoſdem dies lanea veſte indutus, ab eſcis & potibus, qui interdicti ſunt, & à toro, gladio & equitatu abſtineat, citato cap. ij. eodem tit. de homicid.

Sed & ſi quis fures ſeu latrones ligatos interficit, abſtineat ab altaris miniſterio, & pœniteat arbitrio Epiſcopi, de homicid. cap. Suſcepimus, ex Alex. Papa III.

Vigeſimus eſt, quòd ſi quis Paganum vel Iudæum odij meditatione occidit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat, præcitata diſt. L. cap. Qui verò odij. ex Concilio Maticen. cap. vj. quod apud nos non extat: Sed facit Concilium Vuormacienſe cap. xxvij.

Vigeſimusprimus eſt, vt matricida pœniteat decem annis, ſecundùm formam ſatis apertè traditam xxxiij. q. ij. Latorem. à Nicolao Papa ad Epiſcopum Argentoratenſem, quæ ſic habet.

Latorem præſentium matricidam eſſe cognouimus, cui præcipimus, vt ſub pœnitentiæ iugo permaneat: ita vt per annum integrum Eccleſiam non ingrediatur, ſed ante fores Baſilicæ orans & deprecans Deum perſeueret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo verò anni circulo introeundi in Eccleſiam licentiam habeat: tamen inter Audientes ſtet; ſed nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis, ſacræ communionis ei gratia concedatur: oblationes verò non offerat, niſi priùs aliorum ſeptem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis atque temporibus, carnem non manducet, nec vinum bibere præſumat, exceptis feſtis diebus atque Dominicis, & à Paſcha vſque ad Pentecoſten. Et quocunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur; ſed pedibus proficiſcatur; arma non ſumat, niſi contra paganos; ieiunet autem tribus diebus per hebdomadam vſque ad veſperam. A propria quidem ac legitima coniuge non ſeparetur, ne in fornicationis voraginem corruat: quod ne fiat, optamus. Si autem ante annorum trium curſum finis vitæ illius appropinquauerit; corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti particeps fiat: ſin autem; vt ſupra ſtatuimus, efficiatur: tamen, ſi illius conuerſionem & lachrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus & optimis operibus pullulare; humaniùs circa eum veſtra ſolicitudo peruigil appareat, mitiſq. omnibus demonſtretur.

Similis pœnitentia parricidis & fratricidis imponitur paucis mutatis à Cõcilio Vuormacienſi cap.xxx.

Vigeſimusſecundus eſt, vt qui propriam vxorem abſque lege vel ſine cauſa & certa probatione interfecerit, aliamq́. duxerit vxorem, armis depoſitis publicam agat pœnitentiam, cap. Quicunque. xxxiij. q. ij. ex S. Pio Papa I. Sed ex admonitione Stephani Papæ V. vel ingrediatur Monaſterium, & ſub manu Abbatis humilietur, & obediat cunctis imperatis, vel publicam pœnitentiam agat in ſeculo, quod durius & grauius ſibi erit, & omnibus diebus quibus pœnitere debet, vinum & ſiceram non bibat, carnem nullo vnquam tempore comedat, præterquàm in Paſcha & Natali Domini; pane & aqua & ſale vtatur; in ieiunijs, vigilijs, orationibus, & eleemoſynis omni tempore perſeueret; armis nunquàm cingatur; nec in quolibet loco litigare præſumat; vxorem nunquàm ducat; in balneo nunquam lauetur; in conuiuijs lętantium nunquàm ſe miſceat; in Eccleſia ſegregatus ab alijs Chriſtianis poſt oſtium & poſtes humiliter ſe reponat, ingredientium & egredientium ſuppliciter orationibus ſe commendet; communione corporis & ſanguinis Domini cunctis diebus vitæ ſuæ indignum ſe exiſtimet; in vltimo tamen exitus vitæ ſuæ, ſi meruerit, pro viatico, ſi ſit qui tribuat, tantummodò per veniam ei conceditur, cap. Admonere. eadem cauſa xxxiij.q.ij.

Imponitur autem maior pœnitentia vxoricidæ quàm matricidæ, non quia illud peccatum non ſit grauius iſto; ſed quia homines proniores ſunt ad occidendas vxores quàm matres.

Vigeſimustertius eſt, vt parentibus qui filios voluntariè occiderunt grauior pœnitentia imponatur, quàm pro alio homicidio; & mater quæ volens occidit filium, inducatur vt religionem ingrediatur: ſed ſi induci non poteſt, ei indulgetur, vt ſi vidua ſit, nubere poſſit; cùm tutiùs videatur, vt in Domino nubat vni ſoli, quàm inhoneſtè multos admittat, cap.j. De his qui fil. occider. ex Alexandro Papa III. quod intelligendum eſt, cùm timetur de incontinentia, arg. xxxiij.q.ij. In adoleſcentia. ex S. Leone Papa. Sed ſi virum habet & filios, pœnitentiam agat, & maneat cum viro, vt & filios liberè & pacificè gubernare poſſit, eod.tit.cap.ij. ex Lucio Papa III.

Vigeſimusquartus eſt, de facientibus abortum, ſiue de necantibus partus, qui animato fœtu homicidæ ſunt voluntarij, & homicidarum pœnis ſubijciuntur, vt ſexta Synodus iudicat canone xcj. his verbis: Eas quæ dant abortionem cientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis ſubijcimus. Et in eandem ſententiam iudicat Concilium Vuormacienſe cap.xxxv. in princ. his verbis: Mulieres igitur, quæ ante temporis plenitudinem conceptos vtero infantes voluntate excutiunt, vt homicidæ proculdubio iudicandæ ſunt. Illæ verò &c. Iis enim diuerſa pœnitentiæ tempora impoſita ſunt. Nam in Concilio Ancyrano iuxta primam editionem cap. xx. & iuxta ſecundam & tertiam cap. ſeu canone xxj. dicitur: De mulieribus quæ fornicantur, & partus ſuos necant; vel quæ agunt ſecum, vt vtero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio vſque ad extremum vitæ eas ab Eccleſia remouet. Humaniùs autem nunc definimus, vt eis decem annorum tempus pœnitentiæ per gradus præfinitos tribuatur. Quod & tranſcribit Burchardus libro xvij. cap.liiij. Et ex hoc Concilio Martinus Bracarenſis in collectione Synodorum Græcarum cap. lxxvij. dicit: Si qua mulier fornicata fuerit, & infantem qui exinde fuerit natus occiderit; & quæ ſtuduerit abortum facere, & quod conceptum fuerit necare; aut certè vt non concipiat elaborat, ſiue ex adulterio ſiue ex legitimo coniugio, has tales mulieres in morte recipere communionem priores canones decreuerunt. Nos autem pro miſericordia, ſiue tales mulieres, ſiue conſcias ſcelerum ipſorum, decem annos agere pœnitentiam iudicamus. Et in Concilio Eliberino cap.lxiij. Si qua mulier per adulterium abſente marito conceperit, idq́. poſt facinus occiderit, placuit ei nec in fine dandam eſſe communionem, eo quòd geminauerit ſcelus. Et habetur apud eundem Burchardum eodem lib.xvij.cap.lj. & Iuonem parte ix. cap.cij. in princ. vbi tamen loco verborum, nec in fine, dicit, vix in fine &c.

[& erroneè citant dictum Concilium Eliberinum cap. iij. hic in inscriptione, ille in margine.] Et in Concilio Ilerdensi cap.ij. Hi verò qui malè conceptos ex adulterio fœtus vel editos necare studuerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, in vtroque sexu adulteris post septem annorum curricula communio tribuatur: ita tamen vt omni tempore vitæ suæ fletibus & humilitati insistant. Si verò clerici fuerint, officium eis ministrandi recuperare non liceat: attamen in choro psallentium à tempore receptæ communionis intersint. Ipsis autem veneficis in exitu tantùm, si facinora sua omni tempore vitę suæ defleuerint, communio tribuatur. Et habetur apud Burchardum eodem libro xvij.cap.lij.& Iuonem eadem parte ix. citato cap.cij. §.De illis mulieribus. Sed vsque ibi, humiliati insistant. absque §. Si verò clerici fuerint. & §.vlt. & seq. Ac demum in Concilio Arelatensi cap. vj. vbi citantur prædicta Concilia, ita dicitur: Mulieres quædam, vt audiuimus, quæ ex fornicatione concipientes, metuentes ne scelus, quod occultè perpetrauerunt, manifestum fieret, infantes quos pepererunt occiderunt, & terræ congerie operuerunt, aut in aquas proiecerunt. Quod quantum nefas sit canones Ancyrani, Eliberitani, atque Ilerdensis Concilij testes sunt. His itaque vix in fine dandam esse communionem decernunt: sed humaniùs tractantes, post decennem pœnitentiam tales placuit ad communionem recipi.

Quod quidem Concilium Arelatense in Tomis Conciliorum editorum non reperitur, sed transcribunt ex dicto cap.vj. Burchardus eodem lib. xvij. cap. liij. & Iuo eadem parte ix. cap.ciij.

At in Pœnitentiali Romano, vt refert idem Burchardus eodem libro xvij.cap.lx. & vlt. breuioris temporis pœnitentia absque alia distinctione imponitur: ita enim habet: Si qua mulier abortum fecerit voluntariè, tribus annis pœniteat.

Sed & qui aliquo facto aut potione impediunt conceptus vel generationem, etiam vt homicidæ tenentur, sicut Burchardus eodem libro xvij. cap.lvij. ex Concilio Vuormaciensi cap.xxx. (quod in impresso non reperitur) sic refert: Si aliquis causa explendæ libidinis, vel odij meditatione, vt non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare aut concipere, vt homicida teneatur.

Hæc autem propter immanitatem & frequentiam horum scelerum fusiùs exponere visum est.

Vigesimusquintus est, de parentibus, qui paruulos seu infantes suos in lectulis oppresserunt, seu suffocauerunt, de quibus in quodam Concilio Aurelianensi cap.x. vbi habetur: Si qui infantem oppresserint, tres annos pœniteant; vnum ex his in pane & aqua; si clericus fuerit, quatuor annos, vnum ex his in pane & aqua. Et refertur à Burchardo præcitato libro xvij.cap.lv.& Iuone parte ix.cap.ciiij.qui tamen tribuit Concilio Arelatensi dicto cap.vj.

Et in Concilio Moguntino cap. vj. vbi dicitur: Si quis infantem suum oppresserit, aut vestimentorum pondere suffocauerit, & hoc post Baptismum factum fuerit, xl. dies pœniteat in pane & aqua, & à coniuge se interim abstineat. Postea tres annos pœniteat per legitimas ferias, & tres in anno Quadragesimas obseruet. Quòd si ante Baptismum infans oppressus fuerit, proximos xl. dies vt suprà pœniteat: postea verò quinquennium expleat. Et refertur à Burchardo eodem libro xvij. cap. lviij.

Præterea in Concilio Vuormaciensi cap. xxxv. secundo responso dicitur: Illæ verò (scilicet mulieres) quæ dormiendo filios suffocare videntur, leuiter de his iudicare oportet, quia nolentes, & non sentiendo ad hunc deuolutæ sunt casum.

Et hæc quidem si certum est ipsos parentes vel eorum alterum in culpa fuisse; vel quia non adhibuerunt omnem diligentiam quam potuerunt & debuerunt: & sic culpa præcessit casum, & tunc trium annorum pœnitentia imponenda videtur, quorum vnus in pane & aqua peragatur.

Verùm si parentes in culpa non fuerunt, vel omnem diligentiam adhibuerunt, & infantes vel fortuito casu, aut morte naturali decessisse deprehenduntur, in nullo tenentur.

tur, argumento cap. Ex litteris. ij. ex Innocentio III. & cap. Ioannes. ex Honorio III. & cap. vlt. ex Gregorio IX. de homicid.

At si dubium est vtrum ipsi occiderint: parentes non debent esse securi, nec sine pœna; sed tamen habenda est ratio pietatis, vbi non voluntas, sed euentus mortis causa fuit, vt declaratur in decretali Lucij Papæ III. De infantibus. tit. De his qui filios occiderunt, quæ sic habet.

De infantibus autem qui mortui reperiuntur cum patre & matre; & non apparet vtrũ à patre vel à matre oppressus sit ipse vel suffocatus, vel propria morte defunctus: non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna. Sed tamen consideratio debet esse pietatis, vbi non voluntas, sed euentus mortis causa fuerit. Si autem eos non latet ipsos interfectores esse, scire debent se grauiter deliquisse. Quidam autem pœnitentiam trium annorum iudicant esse debere, quorum vnum peragant in pane & aqua.

Et sub eisdem fermè verbis paucis mutatis & adiectis tradit Concilium Parisiense cap. v.

De infantibus autem, qui mortui inueniuntur cum patre & matre, & non apparet vtrũ à patre aut matre occisus sit ipse infans, vel suffocatus, an propria morte defunctus; non debent inde securi esse, nec sine pœnitentia ipsi parentes: sed tamen in eis consideratio debet esse pietatis, vbi non voluntas, sed euentus mortis causa fuit. Si autem eos nõ latet ipsos eius esse interfectores, scire debent grauiter se deliquisse, quod in Ancyrano Concilio comprobatur. Quidam autem trium annorum pœnitentiam horum iudicant esse debere; quorum vnum ex his exigant in pane & aqua, atque se ab omni luxuria tempore pœnitentiæ suæ custodiant. Prout refertur à Burchardo sæpecitato libro xvij. cap. lix. & penultimo, De infantibus &c.

Vigesimussextus est, quòd presbyteri Græci (quibus legitimo matrimonio vti licet) si ipsis procurantibus vel studiosè negligentibus eorum filij in lectis reperiantur oppressi, ab officio altaris debent perpetuò abstinere; & eis grauior quàm laicis, non tamen publica, nisi in publicum id venerit, pœnitentia debet imponi. Verùm si ex incuria ipsorum mortui inueniantur in cunis, & illud fuerit occultum, eis pœnitentia pro arbitrio pœnitentiarij imponatur, & in terrorem aliorum ad tempus abstineant à celebratione Missarum, cap. Quæsitum. ex Clemente Papa III. de pœnit. & remissionibus.

Monendi sunt autem parentes & contestandi (pro protestandi) ne tam tenellos infantes secum in vno lecto collocent, ne qualibet negligentia proueniente suffocentur vel opprimantur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur, vt admonet Stephanus Papa in epistola ad Humbertum Episcopum Moguntinum, cap. Consuluisti. ij. q. v.

Vigesimusseptimus est, quòd ei, qui presbyterum occiderit duodecim annorum, secundum statuta priorum, pœnitentia imponatur. de pœnit. & remiss. cap. ij. ex Concilio Moguntino sub Rabano cap. xxiiij.

Qui verò Monachum vel clericum occidit, septem annis publicam pœnitentiam agat, arma relinquat, & Deo in Monasterio seruiat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad seculum reuersurus xvij. q. iiij. Qui occiderit. ex libro vj. capitularium, cap. xc.

Vigesimusoctauus est, si quis laicus iuramentum violando profanat, quod Regi & domino suo iurat, & postea peruersè & dolosè in regnum & in mortem ipsius machinatus fuerit, quia in Christum Domini manum mittit, anathema est; nisi per dignã pœnitentiæ satisfactionem emendauerit, sicut est à sancta Synodo constitutum, idest seculum relinquat, arma deponat, in Monasterium eat, & pœniteat omnibus diebus vitæ suæ: veruntamen communionem in exitu vitæ cum Eucharistia percipiat. Episcopus verò, presbyter, & diaconus, si hoc crimen commiserit, degradetur, xxij. q. v. & vlt. cap. Si quis laicus, ex Augustino iuxta Gratianum hic, & Burchardum lib. xij. cap. xxj. & Iuonem parte xij. cap. lxxviij.

Vigesimusnonus est, quòd qui alium accusat, si accusatus propterea occisus fuerit, nisi pro parte hoc fecerit, quadraginta dies in pane & aqua, quod carina vocatur, cum

ſeptem ſequentibus annis pœniteat: Si autem debilitatus eſt, per tres debet Quadrageſimas pœnitere, de accuſat. cap. Accuſaſti. ex Burchardo in decreto libro xix. cap. v. §. Accuſaſti.

Vigeſimusoctauus, quòd ſi quis ſcienter peierauerit, quadraginta dies in pane & aqua, ieiunet, & ſeptem ſequentes annos pœniteat; & nunquam ſit ſine pœnitentia; & nunquam in teſtimonium recipiatur: communionem tamen poſt hæc percipiat, vj. q.j. cap. Quicunque. ex S.Fabiano Papa.

Vigeſimusnonus, quòd qui compulſus à domino ſcienter peierat, ſi liber ſit, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat, & ſeptem ſequentes annos: Si verò ſeruus ſit eiuſdem, tres quadrageſimas & legitimas ferias (ſcilicet ſecundam, quartam & ſextam) pœniteat, xxij. q. v. cap. j. Qui compulſus. ex S. Pio Papa I. vel ſecundum quoſdam, ex Pœnitentiali Theodori. Adhæc Burchardus libro xix. cap. v. tit. de periuris, & Iuo parte xij. cap. lxj.

Trigeſimus eſt, quòd qui peierat in manu Epiſcopi, aut in cruce conſecrata, tres annos pœniteat; ſi verò in cruce non conſecrata, annum vnum pœniteat. Qui autem coactus fuerit, & ignorans peierauerit, & poſtea cognoſcit, tres quadrageſimas pœniteat, eadem cauſa xxij. & q. v. cap. ij. Qui peierat. ex eodem Pio; vel ſecundum Burchardum libro xij. cap. v. & Iuonem parte xij. cap. lxij. ex Pœnitentiali Theodori.

Trigeſimusprimus eſt, ſi quis coactus pro vita redimenda vel qualibet cauſa vel neceſſitate periurat, quia corpus plus quàm animam dilexit, tres Quadrageſimas pœniteat. Alij verò iudicant, tres annos, & vnum ex his in pane & aqua, eadem cauſa & q. cap. iij. Si quis coactus. ex Pœnitentiali Theodori, aliàs Romano, ſecundum Burchardum libro xij. cap. vj. & Iuonem parte xij. cap. lxiij.

Trigeſimusſecundus eſt, quòd qui peierauerit, & alios ſciens in periurium duxerit, quadraginta dies pœniteat in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos, & nunquàm ſit ſine pœnitentia. Et alij, ſi conſcij fuerint, eodem modo pœniteant, eadem cauſa xxij. & q. v. cap. iiij. Si quis peierauerit, ex Gelaſio Papa: vel iuxta Burchardum libro xij. cap. viiij. Iuonem parte xij. cap. lxvj. & alios, ex Pelagio Papa: vel iuxta quoſdam, ex Pio Papa.

Trigeſimustertius, quòd qui cauſa lucri menſurat in falſa menſura, triginta diebus in pane & aqua pœniteat, de empt.& vendit. cap. Vt menſuræ. ex Concilio Moguntino.

Trigeſimusquartus eſt, quòd qui ſolennem pœnitentiam violant, ſiue ad priora crimina vel ſimilia redeundo, ſiue ad negotiationem vel militiam ſecularem, quæ ſibi fuerant interdicta; cùm iteratò ſolenniter pœnitere non poſſint, ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione iunguntur; ſacræ myſteriorum celebrationi quamuis non merean tur interſunt; à Dominicæ autem menſæ conuiuio ſegregantur; vt hac ſaltem diſtrictione correcti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & alijs exemplum tribuant quatenus ab obſcenis cupiditatibus retrahantur: quibus tamen in fine vitæ viatico munere per communionis gratiam ſubuenitur, xxxiij.q.ij. cap. De his verò. ex S.Siricio Papa epiſtola prima ad Himerium cap.v.

Trigeſimusquintus eſt, quòd qui apud infideles & perſecutores ſine vlla neceſſitate, ſine ablatione patrimonij, vel ſine periculo aut aliqua ſimili cauſa à fide Chriſtiana præuaricantes defecerunt, ſi ex animo pœniteant, tribus annis inter Audientes habentur vt fideles; & ſeptem annis inter pœnitentes ſunt: duobus autem annis extra communionem in oratione ſola participent populo. Si qui verò per Dei gratiam vocati, primò quidem oſtenderunt fidem ſuam, depoſito militiæ cingulo; poſt hæc autem ad vomitum reuerſi ſunt; vt & pecunias darent, & ambirent rurſum ad militiam, iſti decem annis ſunt inter pœnitentes, poſt triennium quo fuerint inter Audientes. Licebit autem Epiſcopo etiam humaniùs circa eos aliquid cogitare, de pœnit. diſt.v. cap. Si qui verò. ex ſacroſancto Concilio Nicæno I. canone xj. iuxta tertiam editionem. Hodie autem etiam apud Epiſcopum vel Inquiſitorem abiurant vel vt apoſtatæ, vel vt de apoſtaſia ſuſpecti.

Trige-

Trigesimussextus est, quòd qui celebrat Missam & in ea non percipit corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, ab ipsa, qua se indecenter priuauit, gratia communionis anno vno repellitur, seu ipso iure suspensus est, de consecr. dist. ij. cap. Relatum. ex Concilio Toletano XII. cap. v.

Trigesimusseptimus est, quòd si clericus palla altaris mortuum per ignorantiam obuoluerit, presbyter qui illum non monuerit, decem annis & quinque mensibus excommunicatus sit. Diaconus verò, qui palla, quæ fuit in altari, aut certè quæ data est in mensam Domini, scapulas operire præsumpserit, triennio & sex mẽsibus à Dominico erit suspensus altari, graui percussus anathemate, de consecr. dist. j. cap. Nemo per ignorantiam, ex S. Clemente Papa I. in secunda epistola ad S. Iacobum fratrem Domini, de sacratis vestibus vel vasis, in princ. Facit Concilium Aruernense cap. v. vbi habetur: De opertorio Dominici corporis seu palla altaris, nunquam Sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur: quia sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.

Trigesimusoctauus est, quòd qui cum atroci iniuria & violentia sacrilegium committit nefariè Ecclesiam violando, sacrum altare, sacraq. Dominici corporis & sanguinis vasa, & sanctum chrisma pollutis manibus arripiendo, pœniteat septem annis; vno anno extra Ecclesiam Dei, quam, vt præfertur, violauit, consistat: secundo verò anno ante fores Ecclesiæ sine communione maneat: tertio verò Ecclesiam Dei ingrediatur, & inter Audientes adstet sine oblatione; & hoc triennio non manducet carnem, neque bibat vinum, præterquàm Natalis & Resurrectionis Dominicæ diebus. Quarto præterea anno (si his prioribus tribus fructuosus fuerit pœnitentiæ labor) communioni fidelium restituatur; totaq. mentis intentione spondens talia se vlteriùs nunquàm facturum, corpus & sanguinem suscipere mereatur; & vsque ad septimum annum, tribus in hebdomada diebus, sine esu carnium & vini potione maneat pœnitens. xij. q. ij. cap. De viro. ex Nicolao Papa I.

Trigesimusnonus est, quòd si quis Ecclesiam igne combusserit, quindecim annis pœniteat, & eam sedulò restituat, & illius pretium pauperibus distribuat, xvij. q. iiij. cap. Si quis Ecclesiam. ij. ex S. Higinio Papa, seu, secundum Burchardum lib. iij. cap. cciiij. & Iuonem parte iij. cap. cxxvij. ex Iulio Papa I.

Quadragesimus est, quòd si quis pecuniam Ecclesiasticam furatus fuerit vel rapuerit, reddat in quadruplum: populi verò duplicet. Qui verò aliquid de ministerio sanctæ Ecclesiæ furatus fuerit, septem annis pœniteat, tribus in pane & aqua, cap. Pecunia. xiij. q. iiij. ex Pœnitentiali Theodori.

Quadragesimusprimus est, vt si quis clericus furtum fecerit capitale, vt si quadrupedẽ, aut quamlibet rem melioris pretij furatus fuerit, vel domum effregerit, septem annis pœniteat, laicus quinque. Si quis autem de rebus minoribus semel aut bis furtum fecerit, reddat proximo suo, & vno anno pœniteat in pane & aqua: & si reddere non potuerit, tribus annis pœniteat, cap. Si quis clericus furtum. iij. xvij. q. iiij. ex Pœnitentiali Romano.

Quadragesimussecundus est, quòd si parentes promiserunt vel iurarunt sponsalia filiorum, & deinde fregerunt fidem, triennij tempore abstineant se à communione, similiter & filij, si sint in culpa, xxxj. q. iij. cap. Si qui parentes. ex Concilio Eliberino, cap. liiij.

Quadragesimustertius est, quòd qui publicè blasphemauerit Deum, vel aliquem Sanctorum, & maximè beatam Virginem, illi debet Episcopus hanc pœnitentiam iniungere, scilicet vt septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto dum Missa cantatur existat; & vltimo die Dominico pallium & calceamenta non habeat, & corrigiam ligatam circa collum teneat: & septem præcedentibus sextis ferijs in pane & aqua ieiunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus: & quolibet prædictorum dierum tres si poterit, alioquin duos, reficiat pauperes, siue vnum: & si ad hoc eius non suppetant facultates, id in pœnam aliam commutatur. Cui, si renuerit recipere ac peragere pœnitentiam supradictam, Ecclesiæ interdicatur ingressus, & in obitu

eccle-

ecclesiastica careat sepultura, & alia pœna pecuniaria mulctetur, de maledicis, cap. Statuimus. ex Gregorio Papa IX. Sed hodie, si blasphemia fuerit hæreticalis, remittuntur ad Episcopum vel Inquisitorem.

Quadragesimusquartus est, quòd presbyter qui reuelat peccata in Sacramentali Confessione audita, de iure antiquo debet deponi; & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat, de pœnit. dist. vj. Sacerdos. ex Gregorio. De iure verò nouo, ab officio Sacerdotali deponitur, & ad agendam pœnitentiam in arctum Monasterium detruditur, cap. Omnis vtriusque. in fine, de pœnit. & remiss. ex Innoc. III. in Concilio generali cap. xxj. Sed hodie pro qualitate casus consulitur sanctæ Inquisitionis Officium.

Quadragesimusquintus est, quòd qui in dicendis horis canonicis & alijs officijs diuinis discrepat à consuetudine propriæ Metropolitanæ Ecclesiæ, sex mensibus communione priuatur, & apud Metropolitanum sub pœnitentiæ censura permanet corrigendus, xij. dist. De his. ex Concil. Toletano XI. cap. iij.

Quadragesimussextus est, quòd Episcopus, qui inuitum aut reclamantem præsumpserit ordinare, annali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat; & sic per annum manet suspensus, lxxiij. distinct. cap. j. ex Concilio Aurelianensi III. cap. vij.

Quadragesimusseptimus est, quòd Episcopus, qui correctionem de venditione ministeriorum seu simonia dissimulat, duobus mensibus excommunicationi subiaceat: presbyter verò qui commiserit, quatuor mensium excommunicatione plectatur; Diaconus trium; Subdiaconus autem & clericus competenti pœna & debita excommunicatione plectendus est, j. q. j. Quicquid inuisibilis. ex Concilio Toletano XI. cap. viij.

Quadragesimusoctauus est, quòd qui in tabulis vel Codicibus aut alijs forte furta requisierit; aut diuinationes aliquas in aliquibus rebus obseruare præsumit, quadraginta dies pœniteat, de sortilegijs cap. j. ex Pœnitentiali Theodori.

Quadragesimusnonus, quòd qui videt in Astrolabio pro reperiendo furto, pœniteat per annum vel amplius, si Episcopo visum fuerit, eodem tit. de sortileg. cap. Ex tuarum. ex Alexandro Papa III. in collectione suarum decretalium, parte L. cap. vj.

Quoad duos præcedentes canones aduertendum est, quod si sortilegium saperet forsan hæresim manifestam, pœnitens esset remittendus ad Episcopum vel Inquisitorem, cap. Accusatus. §. Sanè. & ibi glossa & Doct. de hæreticis lib. vj. & quoad casus diuinationum propter litteras Sixti Papæ V. consulendus videretur Episcopus vel etiam Inquisitor.

Quinquagesimus est, quòd si presbytero celebrante per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur; si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus corradetur & igne consumetur, & cinis intra altare recondetur: & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillauerit, sorbeat minister, id est ipse Sacerdos vel Diaconus ieiunus stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat; si vsque ad tertium, nouem diebus pœniteat: si vsque ad quartum viginti diebus pœniteat; & linteamina quæ tetigerit stilla tribus vicibus minister abluat, calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur, de consecr. dist. ij. cap. Si per negligentiam, ex decretis S. Pij Papæ I.
Ad idem est decretum, quod refert Iuo in secunda parte cap. lx.

Quinquagesimusprimus est, quòd si ceciderit sacrificium de manibus offerentis terra tenus, vt non inueniatur; omne quodcunque inuentum fuerit in loco in quo ceciderit, comburatur; & cinis sub altari recondatur; & cui acciderit, medium annum pœniteat. Si verò sacrificium inuentum fuerit, locus scopis mundetur, & stramen igne comburatur, & cinis, vt suprà, recondatur; & Sacerdos xx. dies pœniteat. Pœnitentiale Romanum apud Burchardum libro v. cap. lij. & Iuonem parte secunda cap. lxj.

Quinquagesimussecundus est, quòd si quis per ebrietatem vel voracitatem sacram Eucha-

Eucharistiam euomuerit, xl. diebus pœniteat, si laicus est; clericus, Monachus, Diaconus sexaginta, Presbyter septuaginta, Episcopus centem decem. Si infirmitatis causa euomuerit, septem dies vnusquisque pœniteat, de consecr. ead. dist. ij. Si quis per ebrietatem. ex Pœnitentiali Bedæ, aliàs inscripto de remedijs peccatorum cap. xij. de ebrietate in principio. Licet aliter habeatur quoad numerum dierum apud Gratianum hoc loco, & Iuonem parte secunda decreti cap. lv. & ab his etiam discrepet Burchar. lib. v. cap. xlvj. & Pannormia libro j. cap. clv.

Quinquagesimustertius est, quòd qui sacrificij die euomuerit, & in ignem vel flumen vomitum proiecerit, centum Psalmos cantet; si verò canes illum lamberint seu comederint, centum dies, si sciuerit, pœniteat: si non sciuerit, quadraginta, idem Beda ibidem, & apud Iuonem parte secunda cap. lvij. qui euomuerit sacrificium, & à canibus consumitur, annum vnum pœnitere debet; alioquin xl. dies.

Quinquagesimusquartus, quòd si quis inebriatur contra præceptum Domini (si votum sanctitatis habet) ita vt eius mens mutetur, lingua balbutiat, & oculi turbentur, & vertigo, & ventris distensio & dolor sequantur, clericus quidem quatuor dies pœniteat, Monachus quatuordecim, diaconus quatuor hebdomadas, presbyter quatuor, Episcopus quinque, Prælati (scilicet alij, vel superiores regularium) tres sine vino & carne. Idem Beda in eodem Pœnitentiali, eodem cap. xij. de ebrietate.

Quinquagesimusquintus est, quòd qui non benè custodierit sacrificium, & mus, vel aliquod aliud animal comederit illud, xl. dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta dies pœniteat, de consecr. dist. ij. cap. Qui benè. ex Concilio quodam Arelatensi seu Aurelianensi, & apud Burchardum lib. v. cap. lj. & Iuonem parte secunda cap. lx. & Pannormiam libro j. cap. clvij. Si verò negligentiam erga sacrificium fecerit, vt vermibus consumptum ad nihilum deuenerit, tres Quadragesimas in pane & aqua pœniteat: Si integrum inuentum, & in eo vermis, comburatur, & cinis sub altari condatur. Et si neglexerit, quaternis diebus suam negligentiam soluat. Si cum amissione saporis decoloratur sacrificium, viginti dies expleantur ieiunio. Conglutinatum verò septem dies qui mersit pœniteat, ex eodem Concilio, apud Burchardum & Iuonem ijsdem locis proximè citatis.

Quinquagesimussextus est, quòd si quis domum vel aream cuiusquam voluntariè incenderit, sublata & incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat, de iniurijs cap. Si quis domũ. ex Pœnitentiali Romano. Innocentius tamen II. in quodam Concilio vniuersali cap. xviij. cõstituit, vt qui malo studio, siue pro odio, siue pro vindicta ignẽ apposuerit vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur; & si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura; nec absoluatur, nisi priùs damno cui intulit, secundum facultatem suam resarto, iuret se vlteriùs ignem non appositurum. Pœnitentia autem ei detur, vt Hierosolymis, aut in Hispania in seruitio Dei per annum integrum permaneat. Si quis autem Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxauerit, damnum restituat, & per annum ab officio Episcopali abstineat, xxiij. q. viij. cap. Pessimam, & habetur etiam in Pannormia libro 8. cap. cliij. & vltimo totius operis.

Hodie autem incendiarij postquam sunt per Ecclesiæ sententiam publicati excommunicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi, de sent. excom. cap. Tua nos. ex Clemente Papa III. tunc enim casus est reseruatus Papæ.

Quinquagesimusseptimus est, quòd si quis dederit aut acceperit communionem de manu hæretici, & nescit quòd Catholica Ecclesia contradicit; postea intelligens, annum integrum pœniteat. Si autem scit & neglexerit, & postea pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat: alij iudicant septem, & quidam humaniùs, vt quinque annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum Missam suam celebrare in Ecclesia Catholica, & nescit xl. dies pœniteat: si pro reuerentia eius, annum integrum pœniteat: si pro damnatione Ecclesiæ Catholicæ, & consuetudinis Romanorum, proijciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam: si habuerit, decem annos

nos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia Catholica in congregationem hæreticorum, & alijs persuaserit,& postea pœnitentiam egerit, xij. annos pœniteat, tres extra Ecclesiam,septem inter Audientes, & duos adhuc extra communionem. De his ita in canone dicitur,vt duodecimo anno communionem sine oblatione percipiant,xxiiij. q.j. Si quis dederit. ex B. Iulio Papa I. iuxta Gratianum hoc loco; vel ex S. Eutychiano Papa iuxta Burchardum libro xix. cap.cxv. & Iuonem parte xv.cap.cxvij.

Hodie autem super huiusmodi casibus consulendus est Episcopus vel Officium sanctæ Inquisitionis propter hæresim & eius suspicionem.

Quinquagesimusoctauus est, quòd si patroni laici Ecclesiarum in rebus illis collatis quasi iuris proprij potestatem præferre, rapinam, fraudem vel violentiam quamcunque ingerere præsumpserint, excommunicationis annuæ sententiam sustineant, & malè rapta cum confusione restituant, xvj.q.vij. cap.Filijs. ex Concilio Toletano IX. cap.j.

Præterea & ipsi patroni caueant, ne huiusmodi iurispatronatus obtentu, in perceptione fructuum dictarum Ecclesiarum vel beneficiorum quorumcunque se ingerant, sed illos Rectori seu beneficiato liberè dimittant, iuxta decretum sacri generalis Concilij Tridentini sess.xxv.de reformat.gener.cap.ix.§.Patroni autem. Neve in ijs quæ ad Sacramentorū administrationem spectant vllatenus se præsumant ingerere; neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ aut bonorum stabilium seu fabricarum prouentibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat, iuxta aliud decretum eiusdem Concilij sess. xxiiij. de reformat. gener. cap. iij. §. vltimo.

Quinquagesimusnonus est, quòd qui diuinationes expetunt, & morem gentilium sequuntur, aut in domos suas huiuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, quinque annos pœniteant secundum gradus pœnitentiæ definitos, xxvj.q.v.cap.Qui diuinationes. ex Concilio Ancyrano,cap.xxiij. iuxta primam editionem.

Ad idem est canon eadem causa & quæstione,cap.Non liceat.§.Si quis autem,ex collectione Synodorum Græcarum Martini Bracarensis, cap. lxxj. vbi dicitur, quòd si quis paganorum consuetudinem sequens, diuinos & sortilegos in domum suam introduxerit,quasi vt malum foras mittant, aut maleficia inueniant; vel lustrationes paganorum faciant, quinque annis pœnitentiam agat.

Sexagesimus est,quòd qui Sacramento se obligauerit, vt litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro periurio vno anno à communione corporis & sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis,fletibus,& quantis potuerit ieiunijs absoluat; ad charitatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet, xxij.q.iiij. Qui Sacramento. ex Concilio Ilerdensi cap.vij. *1.Petri 4. b*

Sexagesimusprimus est, de ijs qui rebaptizantur: nam qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere; nisi quòd secundum canones ordinari non possunt. Qui autem non ignari iterum baptizati sunt,quasi iterum crucifigentes Christum,per septem annos pœniteant, quarta & sexta feria, & tres quadragesimas ieiunent; si pro vitio aliquo fecerint, similiter: si pro mundicia putauerint, tribus annis similiter pœniteant, de consecrat. distinct. iiij. cap. Qui bis. ex Pœnitentiali Theodori.

Sed S. Felix Papa III. in epistola prima cap.ij.iij.& iiij.& habetur apud Gratianum ibidem cap.seq. Eos quos. ita distinguit.

Eos quos Episcopos, presbyteros,vel diacones fuisse constiterit, & seu optantes forsitan, seu coactos lauacri illius vnici salutarisq́. claruerit fecisse iacturam, vsque ad exitus sui diem in pœnitentia, si resipiscunt,iacere conueniat: nec orationi,nec modo fidelium, sed ne Catechumenorum quidem omnimodis interesse; quibus laica tantùm communio in morte est reddenda. De clericis autem & Monachis, aut puellis Dei,aut secularibus seruari præcipimus hunc tenorem, quem Nicęna Synodus circa eos qui lapsi sunt,vel fuerint,seruandum esse constituit;vt scilicet qui nulla neces-

necessitate,nullius rei timore atque periculo se, vt rebaptizentur, hæreticis impiè dediderunt; si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter Audientes sint: septem autem annis subiaceant inter pœnitētes manibus Sacerdotum: duobus autem annis etiam oblationes modis omnibus non sinantur offerre; sed tantummodò secularibus in oratione socientur: nec confundatur Deo colla submittere, qui eum non timuit abnegare. Pueris autem, quibus (quòd impuberes sunt) à pubertate vocabulum est, seu clericis seu laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquamdiu sub manus impositioue detentis, reddenda communio est; nec eorum est exspectanda pœnitentia, quos excipit à coercitione censura.

Ac insuper hi, qui bis vel ter, vel eò amplius, ignorantibus Episcopis, vel baptizantur vel confirmantur, non seculo, sed soli Deo sub habitu regulari vel clericali religiosissimè famulari coguntur, de consecr.dist.v. cap.Dictum est nobis. ex Concilio Tarraconensi cap.vj. vel,quoad partem, ex Concilio Cabilonensi II.cap.xxvij.

Sexagesimussecundus est,quòd qui scit vxorem suam adulteram fuisse, & ipse illam pœnitentem cognoscit ante pœnitentiam peractam, quia cum adultera commistus sit, quæ adhuc crimine suo purgata non est, pœniteat duobus annis; aut se abstineat ab vsu matrimonij donec expleatur tempus pœnitentiæ ipsius vxoris. Similiter si virum suum vxor inuenerit adulterum, & ipse pœnitere debet, quia non ad imparia iudicatur,xxxij.q.j.cap.Si quis vxorem. j. ex S.Ioanne Chrysostomo, apud quem hodie non reperitur; sed simile habetur in Concilio Nannetensi cap.xij.

Sed si quis vxorem suam scit adulteram, & non vult dimittere sed in matrimonio habere, tribus annis pœniteat, & quamdiu pœnitet, abstineat se ab illa, eadem xxxij. q.j. Si quis vxorem.ij. ex Pœnitentiali Theodori.

Hi sunt veteres Canones pœnitentiales, qui maxima ex parte ex Gratiani Decreto, & alijs decretalibus à diuersis Doctoribus collecti vulgò circumferuntur tum in calce eiusdem Decreti, tum apud nonnullos Theologos [1] & Canonistas in eorum opusculis vel Summis, quos recognoscere & clariùs ac distinctiùs reponere operæpretium visum est. Quamuis autem hi numero non pauci in hunc catalogum referantur; sunt tamen alij complures & in eodem Gratiani Decreto, & apud Bedam in Opusculo de remedijs peccatorum, & Rabanum Archiepiscopum Moguntinum in libro Pœnitentium, & alios auctores, quos nuper Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis in vnum volumen contulit inscriptum Canones pœnitentiales, & notis illustrauit, [2] Sed & fusissimè habentur apud Burchardum Vuormaciensem, & Iuonem Carnotensem Episcopos in eorum Decretis, atque alios sacrorum Canonum collectores; quos studiosus Sacerdos, si velit, legere poterit.

Ad horum igitur normam & exemplum poterit Confessarius pro loco & tempore & qualitate casuum & personarum & statu pœnitentium, & circumstantijs facti & matura discretione cogitare de iniungenda pœnitentia confitenti, & illam suo arbitrio moderari; vel ei saltem, vt superiùs dictum est, canonum pœnitentias significare.

Et quidem [3] qualitas pœnitentium maximè consideranda est, puta si sint noui in fide: nam vt Innocentius III. mandauit dicens; cum pœnitentia non tam secundū quantitatem excessus,quàm pœnitentis contritionem per discreti Sacerdotis arbitrium sit moderanda, pensata qualitate personæ, super fornicatione,adulterio, homicidio, periurio, & alijs circumstantijs omnibus,& præsertim nouitate Liuoniensis Ecclesię competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis,prout eorum saluti videritis expedire, cap. Deus qui. de pœnit. & remiss.

Similiter vbi pro certo peccato mortifero certa pœnitentia imposita non est,suo arbitrio Confessarius illam imponat; quamuis apud veteres consuetudo fuisse videatur, vt generaliter pro [4] quolibet peccato mortali septē annorum pœnitentia imponeretur,cap.Hoc ipsum. ex S.Isidoro in epistola ad Massanum Episcopum,& §.Hoc autem.

tem. ex ipſo Gratiano xxxiij.q.ij. quod hodie communiter non ſeruatur, ſed omnes pœnitentiæ 1 ſunt arbitrariæ, & totum poſitum eſt in arbitrio confeſſoris.

Quod autem attinet ad dies ieiunij in foro pœnitentiali, legitimæ feriæ dicuntur ſecunda, quarta, & ſexta feria ſupracitato cap. Presbyter. & ibi gloſſa in verb. tres legitimas ferias. diſt.lxxxij. præcitato cap. Qui compulſus. & ibi gloſſ. in verb. legitimas ferias. xxij.q.v. & cap. Ieiunia. & ibi etiam gloſſ. in verb. & ſexta. de conſecrat. diſt.iij. Aliqui tamen poſtea pro ſecunda feria ponunt Sabbatum, quemadmodum & in ieiunijs quatuor temporum obſeruatur; & ita hodie communis videtur vſus, præſertim in ieiunijs, quæ in Iubilæorum conceſſione iniunguntur.

Notandum inſuper eſt, quòd ſi pœnitentia in pane & aqua imponatur, non habens panem, poteſt loco panis leguminibus & piſciculis veſci, aut alijs cibarijs refici, ſi neceſſitas id expoſcit, cum diſcretione adhibita, quòd his non ad delicias, ſed ad ſuſtentationem vtatur, de pœnit. & remiſſ. cap. Licet. ex Alex. III.

Notandum quoque videtur, quòd vbi imponitur pœnitentia aliquot annorum, ſiue quadrageſimarum, nec additur quo modo quis debet pœnitere, hoc relinquitur arbitrio Epiſcopi vel presbyteri Confeſſarij, cùm pœnitẽtiæ ſint arbitrariæ, vt dictum eſt ſuprà. Ipſe enim presbyter arbitrabitur eam per ferias legitimas faciendam ſecundum canones, L. diſt. de his clericis. ex Nicolao Papa. & de homicid. cap. ij. ex Pœnitentiali Romano. & alibi.

Hactenus de Canonibus Pœnitentialibus.

Concilium Maguntinum ſub Rabano Archiepiſcopo, cap. xxxj. De modo dandæ pœnitentiæ.

Modus tempúsq. pœnitentiæ peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum ſcripturarum auctoritatem, aut per Eccleſiaſticam conſuetudinem imponi debet à Sacerdotibus. Nam qui pro peccatis grauibus leues quoſdam, & inuſitatos imponunt pœnitentiæ modos, conſuunt puluillos, ſecundùm propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Sed diſcretio ſeruanda eſt inter pœnitentes, qui publicè, & qui abſconsè pœnitere debeant. Nam qui publicè peccat, oportet, vt publica mulctetur pœnitentia, & ſecundùm ordinem canonum pro merito ſuo, & excommunicetur, & reconcilietur. Pœnitentes verò, tam expletionem conſtituti temporis, quàm facinoris remiſſionem deſiderent, nec eis ſufficiat ſi à quarundam rerum perceptionibus abſtineant, ni ſe etiam à noxijs delectationibus ſubtrahant: declinantes autem à malo, faciant bonum, inquirant pacem, & ſequantur illam.

1 Vt ſunt Henricus Card. Oſtien. in ſumm. de pœnit. & remiſſ. §. Vt autem Sacerdos. & ponit xlvj. Canones pœnitentiales.

Gulielmus Durantes, Speculator eius diſcipulus in ſuo Breuiario ſeu Repertorio ſub tit. de pœnit. & remiſſion. ſiue Aureo Confeſſorio, cap. ſeu rubrica de pœnitentijs à canonibus diffinitis, vbi ponit lxxiij. canones principales, & in principio & ad finem dicit quòd pœnitentiæ ſunt omnes arbitrarię.

S. Bonauentura in ſuo Confeſſionali, ſiue in libro de ratione adminiſtrandi Sacramentum pœnitentiæ cap. ij. de pœnitentijs iniungendis ſecundum canones pœnitentiales, Tomo 1. Opuſculorum, & ponit per particulas, ad 59.

Ioannes de Friburgo in ſumma Confeſſorum libro tertio tit. 34. q. 125. Quæ pœnitentia ſit pro peccatis ſingulis iniungenda, vbi ponit xlvj. canones (& ibi in princ. & deinceps, quòd omnes pœnitentiæ ſunt arbitrariæ) & col. 3. verſ. Item circa perſonas. dicit: Et vt Sacerdos cautius in ſpeciali circa pœnitentias arbitretur, notandi ſunt caſus in quibus per canones certæ pœnæ ſeu pœnitentiæ imponuntur &c.

Et ad eam remittit volentem legere Summa Silueſtrina in verbo Confeſſor quarto, q. ij.

Aſteſanus in ſua Summa Aſtenſi libro v. ſecundę partis tit. xxxij. de canonibus pœnitentialibus, incip. Poſtea conſiderandum eſt de canonibus pœnitentialibus (vbi ponit xlvij. canones pœnitentiales.) Et ex eo tranſcribuntur in fine decreti Gratiani, incip. Conſiderandum eſt de canonibus

nonibus pœnitentialibus. Et reponuntur ab

Ant. Augustino Archiepiscopo Tarraconensi in libro seu collectione auctorum de canonibus pœnitentialibus sexto & vltimo loco, cum quibusdam eius notis, & hunc ordinem nos sequuti sumus.

S. Antoninus in tertia parte Summæ tit.xvij. cap.21. §.5.(vbi dicit: Quamuis verò pœnitentiæ iniungendæ à Confessore pœnitentibus hodie sint arbitrariæ, & ad arbitriũ iudicis, id est Confessoris imponendæ, vt habetur 26.q.7. Tempora. & de pœnit. distin.j. Mensuram. Et hanc opinionem approbat consuetudo, & generaliter hoc seruatur, vt dicit Ostien. in Summa tit. de pœnit. & remiss. tamen vt Sacerdos circa huiusmodi dispensationem cautius arbitretur, notandi sunt casus, in quibus per canones certæ pœnitentiæ imponuntur. & ponit canones 46.

Liber Sacerdotalis parte prima tract.iij. de Sacramento Pœnitentiæ, cap.xx. de canonibus pœnitentialibus antiquis, vbi ex præcitato Breuiario Speculatoris, rubrica de pœnitentijs à canonibus diffinitis ponit ad 72. licet diuersimodè.

2 *Et in quodam Pœnitentiali quod M.S. reperit, & ipse vocauit Romanum (quod dudum Roma delatum fuerit Ilerdam à bo. mem. Michaele Thomasio Episcopo Ilerdensi) licet ipse dicat quòd non est vetus illud Pœnitentiale Romanum, cùm in eo citetur, & sit ipso recentius.*

3 *Ex Summa Astensi citato tit.32. circa finem.*

4 *Ad hæc de septenni pœnitentia pro quolibet peccato mortali, & quòd sunt arbitrariæ idem omnes ferè concludunt Gloss. in cap. Sunt plures. in verb. mille. de pœnit. dist.3.*

Ostien. in summa de pœnit. & remiss. §. Quæ pœna sit pro peccatis singulis iniungenda, ibi Dicas, quòd pro quolibet peccato mortali debet regulariter septennis pœnitentia imponi &c. cap. Hoc ipsum. & §. seq. xxxiij.q.ij &c.

Et Speculator in suo Breuiario de pœnit. & remiss. rubr. seu cap. De pœnitentijs & canonibus diffinitis sciendum est &c. vers. Pro quolibet mortali peccato septem annis (licet corruptè dicatur xviij.) 33.q.2. Hoc ipsum. & §. seq. nisi plus vel minus à canone imponatur, vt in d.§. Et ex eo Liber Sacerdotalis prima parte tract.iij. cap.xx. de pœnitentijs à canonibus constitutis. vers. Pro quolibet mortali peccato.

Item Summa Confessorum libro 3. tit. 34. q.125. Quæ pœnitentia sit pro peccatis singulis iniungenda. §. Vt autem scias qualiter debeat procedere arbitrium Sacerdotis; vbi notat quòd pro quolibet peccato mortali debet regulariter septennis pœnitentia imponi, vt patet 33. q.2. Hoc ipsum. & §. seq. &c. Si non est imposita à canone, & si peccatum est occultum potest minui, & quòd plus & minus arbitrio Sacerdotis &c. &

Summa Astensis libro 5. tit.32. de canonibus pœnitentialibus in princ. ibi, vt ergo scias qualiter debeat procedere arbitrium presbyteri &c. dicit: Notandum quòd regulariter, sicut dictum est suprà, septennis pœnitentia est imponenda pro mortali, &c.

Et Summa Angelica in verb. Confessio vj. quoad pœnitentiæ iniunctionem dicit de septenni pœnitentia regulariter pro quolibet mortali, secundum gloss. in citato cap. Sunt plures. & quòd tamen per dicta iura, secundùm communiter Doctores, pœnitentiæ sunt hodie arbitrariæ, &c.

Item Siluestrina in verb. Confessor iiij. q.2. Secundo quæritur, quæ pœnitentia sit pro peccatis singulis iniungenda? & dicit quòd pro quolibet mortali regulariter esset iniungẽda septennis &c.

Item Tabiena in verb. Pœnitentia. §.9. Quotuplex est pœnitentia &c. vers. Quinta est, de qua dicitur regulariter pro quolibet peccato mortali debet imponi septennis d. c. Hoc ipsum, &c. vbi & quòd hodie omnes pœnitentiæ Sacerdotis arbitrio taxandæ sunt consideratis circumstantijs personarum &c. præcitatis iuribus.

5 *Cap. Deus qui. & cap. Mensuram. de pœnit. dist.1. ex S. Hieron.*

6 *Et dicit etiam Specul. in suo Breuiar. de pœnit. & remiss. citata rubrica seu cap. de pœnitentijs in canonibus diffinitis ad finem vers. penult. Hoc autem notandum est. Et ex eo liber Sacerdotalis de Sacramento Pœnitentiæ cap.xx. De canonibus pœnitentialibus antiquis ad finem. vers. Hoc autem aduotare dignum est.*

Forma communis, seu ordinaria absolutionis à peccatis.

MIsereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. ℟. Amen.

INdulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amen.

DOminus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris, suspensionis [si pœnitens est laicus, omittitur verbum suspensionis] & interdicti in quantum possum, & tu indiges, & restituo te vnitati, & communioni fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ.

Deinde producens signum crucis super pœnitentem subiungat.

ITerum ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis in nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti. ℟. Amen.

PAssio Domini nostri Iesu Christi, & merita beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Adueniente autem casu aliquo necessitatis, vt si quis grauiter infirmus, aut vulneratus, aut de alto lapsus, credatur illicò moriturus, & periculum sit in mora, Presbyter debet, reliquis omissis, dicere tantùm verba absolutionis necessaria, videlicet:

Ego te absoluo ab omni excommunicatione, & à peccatis tuis.

Vel etiam breuissimè, Absoluo te, habens intentionem absoluendi eum ab omnibus sententijs excommunicationum, censuris Ecclesiasticis, quibus forsan innodatus existit, & quibusuis peccatis, etiam quomodolibet reseruatis etiam Sedi Apostolicæ, & contentis in litteris die Cœnæ Domini legi consuetis.

IN reconciliationibus, quæ fieri solent ante generalem communionem, Confessarij Sacerdotes, si commodè valent, vti poterunt præcedente communi forma absolutionis à peccatis, vel etiam hac breuiori.

SI teneris aliquo vinculo excommunicationis, à quo possim te absoluere, ego te absoluo, & restituo vnitati fidelium, item & te absoluo à peccatis tuis. In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Modus absolutionis simpliciter, vel ad cautelam à certis sententijs excommunicationis, & alijs censuris Ecclesiasticis in Sacramentali confessione.

Si Confessor habet specialem facultatem absoluendi pœnitentes ab excommu-

communicationis sententia, & ab alijs Ecclesiasticis censuris, vel si ipsi poenitentes habent facultatem, vt eorum Ordinarius, vel alter ab eis eligendus ex approbatis ipsos ab excommunicatione, & alijs censuris huiusmodi absoluere possit, & ipsi petunt absolui; confessor in primis in Sacramento Poenitentiæ vtatur eadem forma, videlicet si ad cautelam, dicat:

Si teneris aliqua sententia excommunicationis maioris, vel minoris, suspensionis, & interdicti [propter tale factum, aut causam &c.] Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & sanctissimi Domini nostri Papæ, vel alia [qua fungitur] te absoluo, & restituo te vnitati, & communioni fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ.

Si laicus est, non dicat suspensionis. Quod & in sequentibus seruetur.

Si verò poenitens simpliciter erit absoluendus ab huiusmodi censuris, dicat:

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ, vel eius Poenitentiarij maioris, vel Reuerendissimi Domini Archiepiscopi, vel Episcopi N. absoluo te ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris, suspensionis, & interdicti, quibus [propter talem causam, vel tale factum] innodatus existis, vel in quæ incurrisse declaratus es, & restituo te vnitati, & participationi fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ.

Deinde dicto Misereatur, & Indulgentiam, absoluat eum à peccatis, dicens: Dominus noster Iesus Christus te absoluat &c. postea, Passio Domini nostri Iesu Christi &c. vt suprà.

Modus, seu forma consueta absolutionis à certa sententia excommunicationis.

PRimùm Sacerdos habens facultatem absoluendi ab huiusmodi excommunicatione, exigat ab excommunicato iuramentum, præsertim in grauibus criminibus, quòd in posterum talia non committet, propter quæ excommunicatus fuit.

Quòd si alicui damnum, vel iniuriam intulit, eum non ante absoluat, quàm vel satisfecerit, vel pro satisfactione cautionem dederit.

Deinde Sacerdos, seu Confessarius [si est secularis, indutus superpelliceo; Regularis verò in habitu suæ professionis &] accepta stola, excommunicato humiliter genuflexo, dicat cum alijs presbyteris, & Clericis præsentibus (si sit extra confessionem) psalmum Miserere mei Deus, totum, & ad quemlibet eius versum in humeris, seu spatulis leuiter virga percutiat poenitentem.

Post psalmum Sacerdos dicit.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

Et ne nos inducas.

℟. Sed libera.

℣. Saluum fac seruum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem sententia excommunicationis ligat; miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde absoluat eum dicens.

DOminus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ, vel Reuerendissimi Domini nostri Archiepiscopi, vel Episcopi, vel talis Prælati aut superioris N. mihi commissa, absoluo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi [vel incurrisse declaratus es] propter tale factum, vel causam, vel si fuerit excommunicatus propter plura facinora, crimina, aut facta, dicat propter talia facta, vel tales casus, illa, vel illos exprimendo iuxta sententiam, vel declarationem [toties, quoties illa vel illos commisisti] & restituo te communioni, & vnitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ: In nomine ✝ Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Et manu dextra facit signum crucis super pœnitentem.

Quod si plures fuerint excommunicati, vel declarati ex eadem causa, & hæc absolutio fiat in iudicio, vel aliàs extra confessionem, dicat prædictas preces, & absolutionem in numero plurali, vt Dominus noster Iesus Christus vos absoluat, &c. Si verò ex diuersis causis, post preces, dicatur Absolutio, Dominus noster Iesus Christus te absoluat, &c. super quemlibet in numero singulari.

Prædictus autem absoluendi modus cum psalmo, & precibus sequentibus interdum prætermittitur, quando casus est occultus, aut non adeò grauis, aut qualitas personæ, vel loci aliter requirit. Tunc enim excommunicatus ab habente auctoritatem absolui potest vel solo verbo, supradictis precibus omissis, vel cum eisdem precibus, vel etiam cum illa precatione tantùm, Dominus noster Iesus Christus &c. vt suprà, reliquis omissis; nisi absoluens fuerit delegatus, & in mandato absolutionis exprimatur, vt in forma Ecclesiæ consueta excommunicatum absoluat; nam tunc præscripta forma omni modo seruanda est.

Forma absolutionis à sententia excommunicationis minoris, quando pœnitens petit à Parocho, vel ab habente potestatem extra Sacramentalem confessionem.

Pœnitens dicat: Confiteor Deo &c. Sacerdos. Misereatur tui, &, Indulgentiam: deinde iniuncta aliqua pœnitentia salutari, dicat:

Ego absoluo te à vinculo excōmunicationis huius, quam confessus es, vel minoris, in quam incurristi [propter tale factum, puta, quia communicasti, seu participasti cum notorio excommunicato, seu nominatim denuntiato] toties quoties, & ab alia, si teneris, in quantùm possum, & restituo te vnitati, & communioni fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ, In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Verùm si petitur absolutio ab excommunicatione minori ad cautelam, vt quia non est certus se in eam incurrisse, dicatur:

Si teneris aliquo vinculo excommunicationis minoris propter tale factū, à quo possim te absoluere, ego absoluo te, & restituo te vnitati, & communioni fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

De modo absoluendi à suspensione, vel interdicto, extra Sacramentalem Confessionem.

Cum Parocho, vel Confessario committitur, vt absoluat aliquem ab alijs censuris Ecclesiasticis, videlicet suspensionis, vel interdicti, cùm nulla reperiantur expresim tradita verba pro huiusmodi absolutione, vti poterit verbis id significantibus, vel formulis infrascriptis.

Pœnitens dicit: Confiteor Deo &c. Sacerdos. Misereatur. Indulgentiam &c. vt suprà in absolutione ab excommunicatione minori: & subiungit.

Formula absolutionis à suspensione.

Authoritate Sanctissimi Domini nostri Papæ, vel Reuerendissimi Domini Cardinalis Legati, vel Archiepiscopi, vel Episcopi: ego absoluo te à vinculo suspensionis, in quam [propter tale factum, vel causam] incurristi, seu incurrisse declaratus es, In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Formula absolutionis ab interdicto.

Auctoritate &c. vt suprà, ego absoluo te à vinculo interdicti in quod [propter tale factum, vel causam] incurristi, vel incurrisse declaratus es. In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Formula absolutionis ab alterutra censura.

Auctoritate &c. vt supra: ego relaxo sententiam suspensionis, vel interdicti, in quam [propter tale factū, vel causam] incurristi, seu incurrisse declaratus es. In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Dictum est extra Sacramentalem confeſsionem: quia ſuprà in communi forma abſolutionis à peccatis, & alijs præſcriptis, continetur abſolutio ab excommunicatione maiori, & alijs cenſuris pro auctoritate Sacerdotis: cùm dicitur, **Abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris, ſuſpenſionis, & interdicti &c.**

Formula diſpenſandi in foro conſcientiæ, vel in vtroque foro ſuper irregularitate, ſiue irregularitatibus ex ſpeciali commiſsione Domini Papæ, ſiue Sedis Apoſtolicæ, vel cùm Epiſcopi in caſibus occultis ex decreto ſacri Concilij Tridentini ſibi permiſsis diſpenſant.

A uctoritate Sanctiſsimi Domini noſtri Papæ, vel Sedis Apoſtolicæ, vel vigore decreti ſacri generalis Concilij Tridentini, ego diſpenſo tecum ſuper irregularitate, ſeu irregularitatibus, quam, ſeu quas propter talem cauſam, vel cauſas (exprimendo illas iuxta tenorem commiſſionis) contraxiſti, & habilito, & reſtituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum. In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Si nullum habeat ordinem, loco verborum & habilito, & reſtituo te, dicatur, **habilito te ad omnes ordines ſuſcipiendos,** vel etiam ad alia, iuxta tenorem mandati.

Cum ſit diſpenſatio, non vtimur verbo, **abſoluo,** ſed **diſpenſo,** vt ſuprà: & ita ſeruat, & reſcribit Sedes Apoſtolica.

Forma generalis, ſeu plenaria abſolutionis ab omnibus ſententijs excommunicationis, & alijs cenſuris Eccleſiaſticis; & ab omnibus peccatis etiam in caſibus quomodolibet reſeruatis, vigore alicuius ſpecialis facultatis, vel indulti conceſsi à Sanctiſsimo D.N. Papa ſiue ſemel, ſiue ſæpiùs in vita ex gratia ſpeciali; vel ingredientibus aliquam Religionem, Ordinem, vel Confraternitatem; ſiue etiam ratione generalis Iubilæi, cum electione Confeſſarij approbati, & elargitione plenariæ, vel alterius Indulgentiæ.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius, & Sanctiſs. D.N. Domini N. Papæ vigore [ſpecialium litterarũ Apoſtolicarũ, vel generalis Iubilæi, ſeu Indulgentiæ plenariæ in forma Iubilæi] tibi conceſſa, & mihi cõmiſſa, ego abſoluo te ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, ſi eſt perſona Eccleſiaſtica, & interdicti ſententijs, cenſuris Eccleſiaſticis, & pœnis a iure, vel ab homine (ſi adeſt facultas) quauis cauſa, & occaſione latis, quibus quomodocũque innodatus exiſtis, ſeu in quas quomodolibet incurriſti, & reſtituo te vnitati, & participationi fidelium, & ſanctis Sacramentis Eccleſiæ.

Si eſt

Si eſt perſona Eccleſiaſtica,& adſit facultas diſpenſandi,& habilitandi & condonandi fructùs malè perceptos, ſubdat:

EAdemq. auctoritate diſpenſo tecum ſuper quacunque irregularitate, quam præmiſſorum occaſione incurriſti, & reſtituo, & habilito te ad executionem ordinum, ac ad omnes gradus, honores, dignitates, officia,& beneficia Eccleſiaſtica quæ obtines, & obtinebis; condonando, ſeu relaxando tibi fructus malè perceptos, iuxta tenorem indulti. Deinde dicto, Miſereatur. & Indulgentiam, vt ſuprà, abſoluit eum à peccatis, dicens.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat,& ego prædicta auctoritate, qua fungor, abſoluo te ab omnibus peccatis tuis, in caſibus etiam eidem ſanctiſsimo D. N. & ſanctæ Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. In nomine ✠ Patris,& Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Poſtea dicat, Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. vt ſupra.

Quocirca aduertendum eſt, quòd conceſſa facultate abſoluendi, ſiue in foro conſcientiæ, ſiue exteriori, non venit facultas diſpenſandi ſuper irregularitate, vel alia inhabilitate, vt ſuperiùs dictum eſt.

ITem, quòd commiſſa facultate abſoluendi à ſententia excommunicationis, non intelligitur ab ea, quæ ab homine lata eſt, niſi ipſe iudex, vel eius ſuperior exprimat, vel concedat, aut excommunicatus ſit in articulo mortis; quo caſu, etiam ex declaratione ſacri generalis Tridentini, ab omnibus peccatis, & cenſuris quomodolibet reſeruatis quilibet presbyter abſoluere poteſt, vt etiam ſuprà notatum eſt.

Forma plenariæ, ſeu generalis abſolutionis in articulo mortis à quibuſuis cenſuris Eccleſiaſticis, peccatis,& caſibus, etiam ſanctiſsimo Domino Papæ reſeruatis, vigore alicuius ſpecialis facultatis perſonæ, Ordini, ſeu Religioni, Collegio, vel Confraternitati, vt ſolet, cum plenariæ Indulgentiæ elargitione, Apoſtolica auctoritate conceſſæ.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus per ſuam pijſsimam miſericordiam te abſoluat, & ego auctoritate ipſius, & ſanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, & ſanctiſsimi D. N. Papæ in hac parte tibi conceſſa, & mihi commiſſa, te abſoluo ab omnibus excommunicationis maioris, vel minoris, ſuſpenſionis (ſi eſt perſona Eccleſiaſtica) & interdicti ſententijs, cenſuris Eccleſiaſticis & pœnis à iure, vel ab homine quauis cauſa, vel occaſione latis, & reſtituo te communioni, & vnitati fidelium, & ſanctis Sacramentis Eccleſiæ.

MIſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſsis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. ℟. Amen.

INdulgentiam, abſolutionem, & remiſsionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus. ℟. Amen.

Deinde:


EAdem auctoritate ego abſoluo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Et producit ſignum Crucis. Indulgentia autem plenaria, & remiſsio omnium peccatorum tuorum [vel alia tot annorum] tibi à Sanctiſſimo D. N. Papa in mortis articulo conceſſa, ſi ex hac infirmitate non morieris, ſalua, & reſeruata tibi ſit in vero mortis articulo.

Deinde dicit:

PAſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſsionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

DE ADMINISTRATIONE Sacramenti Eucharistiæ.



SAcræ Eucharistiæ dispensatio ad Episcopum & presbyterum suo iure pertinet; ideo per se illam populo erogent & distribuant: caueantq́. ne illius erogationem inferioris Ordinis Clerico, nec etiã Diacono committant, qui Episcopo vel presbytero præsente, illam ministrare non potest; nisi ijs absentibus; vel nisi etiam ipsis præsentibus, & non valentibus, necessitas cogat: tunc enim ipse Diaconus iussus erogabit.

Parochus tempore Paschali & alijs diebus solennibus administraturus populo sanctum Eucharistiæ Sacramentum, aliquot ante diebus plebem suam inter Missarum solennia moneat, vt post integram peccatorum suorum confessionem, preparet se ad tantum Sacramentum dignè suscipiendum, sibi proximos quisque suos quibuscum odium & inimicitiæ fortè intercederent reconcilient, restitutiones & alia necessaria & opportuna faciant: ieiunijs, orationibus, alijsq. pijs operibus vacent, à rebus secularibus, quoad fieri potest, se abstineant.

Ad communionem non admittat hæreticos, schismaticos, excommunicatos & interdictos, notorios criminosos & infames, vt meretrices, publicos & manifestos vsurarios, concubinarios, magos, sortilegos, blasphemos & similes.

Præterea non admittat amentes, nisi qui dilucida habent interualla, & tunc mentis compotes sint; nec pueros aut puellas, qui quæve nondum ad ætatem discretionis peruenerint.

De his autem, qui communicare debent aut possunt, certa ætas discretionis assignari non potest; cùm varia sint eorum ingenia, aliqua tardiora ad intelligendum, aliqua velociora & capaciora: sed relinquendum est arbitrio discreti confessoris, vt pro eorum docilitate, captu & deuotione ad sacram communionem admittantur: præsertim verò cùm intelligunt rationem Sacramenti, & discernunt inter bonum & malum; inter peccatum, & non peccatum, & inter panem communem & ipsum Sacramentum.

Prouideat autem parochus, vt hi & alij pueri vel puellæ, qui quæue ad hanc discretionis ætatem peruenerunt, & sacram Eucharistiam sunt suscepturi, si nondum sunt ab Episcopo confirmati, antea confirmentur.

Moneantur omnes, vt sint ieiuni, & ante communionem, si commodè fieri potest, Missam audiant.

Doceantur quoque in communione, quæ sub vna tantùm specie à laicis sumitur, integrum corpus Domini etiam cum sanguine sumi, & cùm frangitur hostia consecrata totum Christi corpus in qualibet parte fracta contineri.

Vt ad cordis munditiam etiam illam corporis adiungant; decere quoque coniugatos triduo ante susceptionem Sacramenti à coniugalibus actibus abstinere.

Itaque cùm tempus communicandi aduenerit, omni qua decet reuerentia & deuotione accedant: Mulieres decenti habitu, non intortis crinibus & fucis illitæ & nimio cultu ornatæ: Viri separatim à mulieribus communicent, vtrumque genu flectant sanctum Sacramentum humiliter adorantes.

Moneantur etiam sumpto Sacramento non statim ab Ecclesia recedere, sed aliquantulum in oratione permanere: ideo quandoque eis iniungatur, vt post communionem antequàm discedant, saltem dicant bis vel ter orationem Dominicam & salutationem Angelicam, & semel Symbolum Apostolorum. Eo etiam die quo Sacramentum sumpserint, à secularibus curis semoti pro temporis opportunitate in Ecclesijs Deo vacent.

Nec prætermittat Parochus sæpius in Quadragesima populo publicare constitutio-

Cap. Omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss.

nem quæ incipit, Omnis vtriusque sexus. de perceptione Sacramenti in Pascha, eiq. declarare ex dicta constitutione omnes vtriusque sexus fideles cùm ad annos discretionis peruenerint, teneri ad suscipiendum reuerenter ad minus in Pascha sanctum Eucharistiæ Sacramentum: nisi ob aliquam rationabilem causam ipse proprius Sacerdos ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: & eos, qui dicto tempore non communicauerint, ab ingressu Ecclesiæ arceri debere, & morientes Ecclesiastica carere sepultura. Tempus autem Paschæ in ipsa constitutione præscriptum intelligi à Dominica palmarum vsque ad Dominicam in octaua Paschæ inclusiuè. Et vt hoc Lateranensis Concilij salutare decretum inuiolabiliter obseruetur, describat Parochus nomina suorum parochianorum, qui ad annos discretionis peruenerint: deinde eorum qui dicto tempore communicauerint, & post octauam Paschæ eos, qui propriæ salutis immemores sæpiùs admoniti non obtemperauerint, Ordinario suo denuntiet.

Hortetur etiam eos, qui communicaturi sunt in Pascha, vt quoad fieri potest, in ipsa Dominica resurrectionis id faciant: qui verò per annum aliquando communicare volunt, id potissimùm in præcipuis solennitatibus, vt in Pentecoste & Natali Domini, & alijs solennibus festis præstent: qui autem hoc Sacramentum magis frequentant, illud in festis & Dominicis præsertim diebus. iuxta suam deuotionem, & sui Confessarij consilium reuerenter percipiant.

Aliqua item Parochus dicat de excellentia & fructu huius Sacramenti, & communicantes ad Christi amorem & vitæ renouationem inflammet, atque vt ante & post sumptionem sancti Sacramenti in meditatione passionis Christi pro cuiusque captu aliquandiu persistant, hortetur.

CVm autem tempus aduenerit communicandi populum, Sacerdos, nisi antea prouisum fuerit, prouideat hostias seu particulas consecrandas pro illius numero abundantiùs.

Paret calicem seu aliud vas, & vinum pro purificatione populi: extendat linteum super scamno ad latitudinem pauimenti ante gradus altaris sancti Sacramenti.

Sacerdos, (nisi in Missa populum communicet) superpelliceo ac stola desuper albi coloris indutus, lotis priùs manibus, venit ad altare, vbi ad gradus aliquantisper genuflexus orat, postea ascendens ad altare, iubet accedere eos, qui volunt communicare. Acolythus accendit cereos seu intortitia. Ipse verò accipit Sacramentum de custodia, vel de altari, & facta priùs ad Sacramentum genuflexione, extrahit illud de capsula, vel accipit de corporali, imponit in calicem seu pyxidem, nisi in ea particulæ consecratæ vel repositæ iam sint. Deinde in cornu epistolæ conuersus ad communicandos, stans interrogat eos, si sunt omnes confessi peccata sua, & reconciliati proximis suis: postea minister vel ipsemet Sacerdos iunctis manibus facit in persona illorum confessionem generalem vulgari sermone, deinde dicit: Misereatur vestri, &c. &. Indulgentiam & absolutionem, &c. faciens super eos signum Crucis.

Deinde genuflectens accipit calicem seu pyxidem cum Sacramento, sinistra manu tenens, dextera verò sumit vnam particulam, quam tenet eleuatam super calicem, & conuersus ad populum, illum cum Sacramento aliquantulum eleuans, eos, si secundum qualitatem loci, & per-

sona-

fectarum sibi videbitur, interrogat. Creditis hoc esse verum Christi corpus, quod pro nobis traditum fuit in mortem? Omnes respondent. Credo. Iterum interrogat. Creditis quicquid credit sancta Catholica, & Romana Ecclesia? ℟. Credo. Deinde Sacerdos subiungit, quilibet vestrum dicat: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea. Quod secundò, & tertiò repetat. Postea accedens ad eorum dexteram, porrigit cuilibet manu dextera Sacramentum, cum eo faciens signum Crucis, & dicens: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Minister verò superpelliceo indutus, calicem vini dextera manu tenens, sinistra verò mappulam ad abstergendum os, & aliquantò post Sacerdotem eos successiue purificat, & mappulam porrigit ad abstergendum.

Habeat etiam paratum vas aquæ, pro ijs, qui vinum non bibunt.

Vbi omnes communicauerint, Sacerdos veniens ad altare, reponit Sacramentum, & dicit Antiphonam.

O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. ℣. Panem de cælo præstitisti eis. ℟. Omne delectamentum in se habentem. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari; vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis. vel dicit vnam ex infrascriptis orationibus pro temporis qualitate.

Tempore Paschali, Oratio.

Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, vt quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In Natiuitate Domini. Oratio.

Hvius nos Domine Sacramenti semper nouitas Natalis instauret; cuius Natiuitas singularis humanam repulit vetustatem. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alio tempore dicatur, vel post communionem illius diei, vel vna ex sequentibus orationibus.

Præbeant nobis Domine diuinum tua sancta feruorem, quò eorum pariter, & actu delectemur, & gustu. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

Tvi nobis Domine communio Sacramenti, & purificationem conferat, & tribuat vnitatem. Per Christum Dominũ nostrum. ℟. Amen.

Dicta oratione Sacerdos abluit digitos, quibus tetigit Sacramentum, & ab-

& abstergit; & ablutio, si non sumitur, proijciatur in Sacrarium. deinde benedicit eis dicens:

Benedictio Dei omnipotentis ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

Poterit etiam eos aspergere aqua benedicta, & rudioribus (ne statim post sumptionem Sacramenti discedant) iniungere, vt dicant aliquot Pater noster. & Aue Maria. antequàm discedant ab Ecclesia.

Si autem communio intra Missarum solemnia fiat, facta communione, Sacerdos antequàm se purificet, ponat Sacramentum in alio calice, vel in pyxide; vel si pauci communicaturi sunt, in patena: operit Sacramentum palla, genuflectit: postea stans ad cornu Epistolæ vertit se ad populum, & iubeat accedere eos, qui communicare volunt, quibus accedentibus, & ad gradus altaris genuflexis, minister pro illis dicit confessionem, Confiteor Deo omnipotenti, & alia, vt suprà. Postquàm verò omnes communicauerint, Sacerdos dicat secretò. Quod ore sumpsimus Domine, vt in Missali.

Deinde se purificat, ministro interim eos, qui communicarunt purificante, & prosequitur Missam, qua finita discedunt.

In Missa verò solemni Diaconus purificat eos, qui communicarunt.

DE SANCTISSIMAE Eucharistiæ asseruatione.



Vm iuxtà Canonem presbyter semper sacram Eucharistiam paratam habere debeat, vt quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur: de eius asseruatione paucis agendum est. Ac in primis quidem commemorandum videtur id, quod sancta Oecumenica Synodus Tridentina, inter alia quæ ad conuellenda zizania execrabilium errorum & schismatum, quæ inimicus homo in doctrina fidei, vsu & cultu sacrosanctæ Eucharistiæ superseminauit, & ad sanam & sinceram de venerabili hoc & diuino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens definiuit, de asseruando sacræ Eucharistiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo, his verbis declarauit.

Consuetudo asseruandi in Sacrario sanctam Eucharistiam adeò antiqua est, vt eam seculum etiam Nicæni Concilij agnouerit. Porrò deferri ipsam sacrã Eucharistiam ad infirmos, & hunc vsum diligenter in Ecclesijs conseruari, præterquàm quòd cum summa æquitate & ratione coniunctum est; tum multis in Concilijs præceptum inuenitur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est obseruatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omninò salutarem hunc & necessarium morem statuit.

Quod & sub anathemate, speciali canone confirmauit.

Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in Sacrario reseruari; sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam; aut non licere, vt illa ad infirmos honorificè deferatur, anathema sit.

Parochus itaque magnam curam adhibere debet in custodiendo sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, quod pro viatico ad infirmos deferendo, & aliorum necessaria siue opportuna communione in publicis & parochialibus præsertim Ecclesijs, maxima cum reuerentia & veneratione diligenter asseruandum est. Quocirca Innocentius Papa III. in Concilio generali statuit, vt in cunctis Ecclesijs Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruentur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si verò is ad quem spectat custodia, eam incautè reliquerit, tribus mẽsibus ab officio suspendatur; & si per eius incuriam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori subiaceat vltioni. Et Honorius Papa III. ne propter incuriam diuina indignatio grauiter exardescat, districtè præcipiendo mandauit, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo, & signato semper honorificè collocata deuotè ac fideliter conseruetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam, vt cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet, idem faciens cùm eam defert presbyter ad infirmum, & quæ sequuntur: iniungens Prælatis, vt huiusmodi mandati grauiter punire non differant transgressores, si & ipsi diuinam & suam volunt effugere vltionem.

In prædictis ergo Ecclesijs perpetuò seruentur aliquæ hostiæ seu particulæ consecratæ in pyxide aurea vel argentea saltem intus inaurata munda & nitida cum suo operculo benè firmata, intra tabernaculum marmoreum vel æneum, aut alterius materiæ, aut saltem ligneum foris deauratum vel depictum, sub tuta custodia & clauibus, diligenter clausum & obseratum, & supra altare conspicuum decenter collocatum quod conopeo vel tegumento serico albi, rubei, viridis aut violacei coloris pro qualitate temporis & dierum cõtegatur, cuius claues semper penes se Curatus habeat.

Tabernaculum verò huiusmodi in Ecclesijs præsertim Cathedralibus, Collegiatis, aut alijs præcipuis super altare maius poni seu collocari non oportebit, ad multa incommoda & impedimenta tollenda: eo quòd ad altare, vbi est custodia Sacramenti, sacra communio frequenter consueuerit ministrari, & apud altare maius quotidie

preces

preces fiant, & diuina officia peragantur, atque in eo Missarũ solennia celebrentur.

Debet etiam Sacerdos ante corpus Christi in tabernaculo reconditum lampades ardentes, aut vnam saltem nocte & die perpetuò habere; vt appareat ibi esse corpus Domini nostri Iesu Christi, qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Aduertat autem, vt non habeat hostias seu particulas consecratas in magna quantitate, vbi opus non est; sed quot pro populi & infirmorum, qui sunt vel esse possunt, numero necessariæ videbuntur, & paucæ aliæ insuper quæ supersint.

Illas autem ad omnem earum corruptionem vitandam sæpius mutari oportet. Et licet varia sit super hoc consuetudo Ecclesiarum vel potius Prelatorum, vt mutentur siue decimoquinto, siue decimo, siue octauo, siue septimo quoque die, illa magis probatur, vt octauo die mutentur, & à Sacerdote, vel ab alijs ieiunis & benè dispositis, priores deuotè sumantur, & nouiter consecratæ reuerẽter earum loco reponantur.

Et vasculum ipsarum adeo firmiter contegatur & occludatur, vt mures & aliæ bestiolæ illud nequaquam penetrare valeant.

Sed & tabernaculum intra quod asseruatur, similiter sit adeò benè obstructum & obseratum; vt nullum omninò foramen in eo sit, per quod vel mures vel muscæ vel culices aut formicæ & similia insecta in illud ingredi possint.

Consueuerunt aliqui in fundo pyxidis, sacrum lineum panniculum de corporali sumptum, aut aliud paruum velum benedictum, aut etiam chartam papyraceam mundam subijcere, vt super ea ipsæ sacræ hostiæ collocentur. Sed illud maximè decet; vt si pyxis est aurea vel argentea, absque alterius rei appositione in ea recondantur.

Et nihilominus hostias seu particulas huiusmodi consecratas frequenter inspicere oportebit, ne vermes in eis fiant, easq. rodant.

Verùm si quando in eis vermes deprehendi, vel illas à vermibus corrodi contigerit, si species integræ manent (quia ibi est corpus Christi) reuerenter & diligenter è vermibus purgandæ sunt, & deinde sumendæ: vermes autem supra patenam comburendi sunt, & cineres in sanctiori Sacrario, vel quod iuxta altare esse solet, condi debent.

Si quis verò Sacramentum hoc non benè & cautè custodierit, & mus, vel aliud animal illud comederit, quadraginta dies, vel aliàs iuxtà distinctionem canonis pœnitentialis pœnitere debet, qui habetur suprà de canonibus pœnitentialibus canone lv.

Cap. 19 Tom. 3. Concil.

Sed & Sacerdos nõ modò sanctissimum hoc Sacramentum diligentissimè custodire tenetur; verùmetiam ex præcepto eiusdem Innocentij III. in Concilio generali, omnia ordinata ad illud munda & nitida conseruare, vt vasa ministerij, pallas altaris, corporalia, sacras vestes, paramenta, atque alia ornamenta Ecclesiastica, & ipsa altaria, oratoria, & Ecclesias: nec permittere debet supellectilia propria vel aliena in Ecclesiis exponi; nisi propter hostiles incursus aut incendia repentina seu alias necessitates vrgentes ad eas oporteat habere refugium: sic tamen vt necessitate cessante res in loca pristina reportentur.

Conc. Auern. cap. 7. Tom. 2. Concil.

Quin & illud obiter hic animaduertendum est, ne ad profanas solennitates sacræ vestes, paramenta & ornamenta ipsa Ecclesiastica commodentur: sicut & alibi constitutum fuit; ne ad nuptiarum ornatum ministeria diuina præstentur; ne dum improborum contactu, pompaq. secularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri mysterij videantur indigna.

DE VISITATIONE ET CONFESSIONE Infirmorum.

CVM Parochus nouisse debeat non postremas esse muneris sui partes ægrotantium, & infirmorũ curam; tum ex officio charitatis, ad quod omnes fideles tenentur, dicente Sapiente, primùm generaliter: Et mandauit illis vnicuique de proximo suo; deinde etiam specialiter: *Eccli.17.b* Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccli.7.d* Et Christo Domino: Infirmus eram, & visitastis me: tum ex onere *Matth.25.d* curæ sibi iniunctæ: ideo cùm primum audierit aliquos in Parochia morbo laborare, confestim ex suo officio, etiam non vocatus sæpe eos visitare, in Domino consolari, & quacunque ratione potest spiritualibus, & temporalibus subsidijs iuuare debet. Sed & in amplis parochijs, notam seu catalogum habeat ægrotorum, & cuiusque statum, & conditionem (si non norit) cognoscat, vt eorum memoriam faciliùs retinere, & illis præsentibus opportunisq. subsidijs ac remedijs subuenire possit.

Eorum verò precipuam curam habeat, qui humanis præsidijs destituti, seduli & amantis pastoris charitatem, solatium & operam requirunt vel expectant.

Quòd si parochus non valeat ope, & eleemosynis illos iuuare, sed & ipse paupertate laboret, nec etiam in ciuitate vel loco sit aliqua charitatis, vel alterius nominis Confraternitas, quæ pauperibus infirmis opitulari, medicos, & medicinas, aliaq. necessaria subministrare consueuerit, & infirmi adhuc inopia premantur, tunc eos pijs Christi fidelibus, vel generaliter in Ecclesia; vel etiam extra eam efficaciter commendet; ac procuret, vt indigentibus, & miserabilibus decumbentibus opem ferant, eleemosynas erogent, siue pecunias siue alia ad illorum necessitates subleuandas conferant.

In primis autem spiritualis eorum salutis curam suscipiat, & habeat, ipsosq. vt sua peccata confiteantur, conscientiam expurgent, animæ necessitatibus dum possunt prouideant, hortetur & moneat; & quantùm Domino iuuante poterit, opem & auxilium eis impendat, ac in interiori & exteriori homine eos soletur, confirmet, atque corroboret. Ac etiam admoneat; vt quamuis ipsorum infirmitas non sit, aut non videatur adeo grauis, vel periculosa, debent tamen ad consequendam citiùs corporis valetudinem, atque ad omne veræ salutis discrimen vitandum, integram & veram confessionem facere de omnibus peccatis suis: cùm enim corporalis morbus plerumque animi languorem pariat; ideo de animæ salute priùs curandum est; & priùs peccata confitenda sunt, quàm de corporali sanitate ratio habenda.

Quare si fortè infirmus excommunicationis vinculo teneatur, presbyter & amici diligenter curare debent, vt se totis viribus submittat mandatis sanctæ matris Ecclesiæ, & absoluatur.

Et cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido quem sanauerat; vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi *Ioan.5.* contingat: ac proptereà fe. rec. Innocentius Papa III. in Concilio generali prouidè constituerit & districtè præceperit medicis corporis, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt postquàm fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur; ac ita causa cessante cesset effectus: & ne deinde cùm hoc eis in extrema ægritudine constitutis suadetur, in desperationis articulum incidant, vnde faciliùs mortis periculum incurrunt. Et quòd si quis medicorum eius constitutionis, postquàm per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter. Sanctæ me. Pius Papa V. volens tam salutare præceptum nulla temporis præscriptione aboleri, sed semper obseruari, dictam constitutionem

tionem per suas litteras, incipientes, Supra gregem Dominicum, sua auctoritate Apostolica innouauit & in perpetuum valitura constitutione statuit & decreuit, vt omnes medici cùm ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, vt idoneo confessori omnia peccata sua, iuxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ confiteantur; neque tertiò vlteriùs eos visitent (nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientia oneratur, concesserit) & eis per fidem Confessoris in scriptis factam constiterit, quòd infirmi, vt præmittitur, peccata sua fuerint confessi.

Coniunctos verò ac omnes familiares & domesticos in Domino rogauit, & monuit, vt de infirmitate parochum certiorem faciant, ac tàm parochus, quàm coniuncti & familiares prædicti infirmum ad confessionem peccatorum suadeant, & inducant. Quòd si qui medicorum præmissa non obseruauerint, vltra pœnas in prædicta Innocentij constitutione contentas, quas incurrere declarauit, perpetuò sint infames, & gradu medicinæ, quo insigniti erant omninò priuentur, & à Collegio, seu Vniuersitate medicorum eijciantur, ac pœna etiam pecuniaria, arbitrio Ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur. Atque vt hæc omnia inuiolabiliter obseruentur, voluit, & eadem auctoritate præcepit, & mandauit, vt nullus in futurum vbique locorum in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio & Vniuersitate concedatur, nisi omnia in eadem sua constitutione contenta coram Notario & testibus obseruare in ipsorum manibus, vel Ordinarij iurauerit, ac de huiusmodi iuramento in ipsorum priuilegio seu licentia medendi specialis mentio fiat. Quòd si Collegia & Vniuersitates prædictæ non recepto à promouendis iuramento huiusmodi, eosdem ad gradum prædictum promouerint, aut eis medendi licentiam præstiterint, pœnam priuationis facultatis alios vlteriùs doctorandi incurrant: mandans vniuersis Ecclesiarum Prælatis, vt suas huiusmodi litteras in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus proprijs publicari faciant, ac iuramentum prædictum à medicis iam promotis, seu licentiam medendi habentibus omnibus iuris remedijs exigant, neque aliquos ad medendum in Ciuitatibus & Diœcesibus prædictis admittant, nisi eis constiterit, eosdem iuramentum huiusmodi præstitisse; & contumaces, ac iurare, & iuramentum huiusmodi iam præstitum exhibere recusantes, gradu medicinæ, & omnibus priuilegijs eis per quosuis etiam Romanos Pontifices cōcessis priuent, & ab ingressu Ecclesiæ arceant donec resipuerint. Non obstan. &c. Rogans, requirens, & obsecrans per viscera misericordiæ Iesu Christi omnes Principes seculares, ac alios Dominos, & Magistratus temporales, & nihilominus eisdem in remissionem peccatorum iniungens, vt eisdem Ecclesiarum Prælatis in præmissis omnibus assistant, & suum fauorem & auxilium præstent, ac contra facientes pœnis etiam temporalibus afficiant &c. vt latiùs in illa.

Et nuper Sanctissimus D. N. Dominus Gregorius Papa XIII. in superiùs citatis litteris innouationis constitutionum Pauli IIII. & Pij V. quas probat contra medicos Hebræos, & extensionis illarum ad Christianos, qui medicos Hebræos, vel infideles ad Christianorum curam vocant, commemorat huiusmodi salutare præceptum ab Innocentio Papa III. in Concilio generali quondam emissum, & à Pio Papa V. innouatum; & tradit de munere parochorum super hoc, vt suprà relatum est, de Iudæis in medicos non admittendis.

Idcircò non modò Episcopi & Prælati locorum in ipsorum Ciuitatibus, & Diœcesibus salutares huiusmodi constitutiones publicare seu publicari, & obseruari facere tenentur: sed etiam expedit à quouis parocho pro suorum vtilitate parochianorum sæpè, vel saltem quater in anno illas plebi suæ publicari & declarari, vt de his certiores facti fideles faciliùs & promptiori animo, cùm eos contigerit infirmari, illis obtemperent, & statim peccata sua Sacerdoti confiteantur, & se ad alia Sacramenta suscipienda disponant.

Cæterùm cùm anima sit multò pretiosior corpore, idem Innocentius III. in eodem Concilio generali sub anathematis interminatione prohibuit, ne quis medicorum

pro

pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ conuertatur. Idcircò parochus, ſi quid huiuſmodi nouerit à medicis attentari, acriter prohibeat, & canonis pœnam exponat.

Quòd ſi quis decumbens, nec hortationibus & monitis Sacerdotis vel medicorum & domeſticorum acquieſcens, neque etiam per ſubtractionem eorundem medicorum, velit peccata ſua confiteri, ſed vel timore mortis, vel deſperatione, aut alia diaboli perſuaſione deuictus reſpuat id facere, tunc præter frequentes hortationes, & monitiones parochi, & ſuorum, aliorumq́. ſacerdotum & religioſorum de perpetua amiſſione gratiæ cœleſtis, ac imminentibus ſibi pœnis æternis, etiam adhibenda ſunt conſilia & deprecationes piorum & proborum virorum; & inſuper inſtituenda eſt in Eccleſia aliqua publica oratio ad Deum, vt biduana, vel xl. aut pauciorum horarum, ad gratiam impetrandam pro ſalute miſeri, & obdurati decumbentis, vt reſipiſcat, & confiteatur peccata ſua. Pro quo etiam ad patrocinium Beatæ Mariæ ſemper Virginis, quæ eſt mater miſericordiæ, & refugium peccatorum, & alicuius ſancti recurratur.

Sciat autem Sacerdos infirmis & grauiter ægrotantibus facilem, & leuem, non autem grauem pœnitentiam imponendam, nec pro peccatis pœnitentiæ quantitatem taxandam, ſed eis indicandam, & inſinuandam, vt & ſi fortè conualuerint, illam perſoluere, & diligenter obſeruare ſtudeant iuxta canonem, qui ita habet.

Ab infirmis in periculo mortis poſitis per presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio peccatorum: non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda, & cum amicorum orationibus, & eleemoſynarum ſtudijs pondus pœnitentiæ ſubleuandum, & ſi fortè migrauerint, ne obligati à communione, & conſortio veniæ fiant alieni.

A quo periculo ſi diuinitùs ereptus conualuerit, pœnitentiæ modum à Sacerdote ſibi impoſitum diligenter obſeruet: & ideò ſecundùm auctoritatem canonicam, ne illis ianua pietatis clauſa videatur, orationibus & conſolationibus Eccleſiaſticis ſacra Vnctione olei inuncti, ſecundùm ſtatuta ſanctorum Patrum communione viatici reficiantur.

Inſuper inſtruendus eſt infirmus pœnitens, quòd confeſſio peccatorum ex ſolo periculo mortis, vel ex ſolo timore ſeruili facta, non proficiat ad ſalutem, niſi excludat voluntatem peccandi, ac ita ex attrito faciat contritum virtute clauium. Et proinde de vniuerſis peccatis ſuis ſtudeat integrè & veraciter pœnitere & confiteri ex charitate Dei & zelo iuſtitiæ in quantum fuerunt diſplicentia Deo, & offenſiua ac inhonoratiua diuinæ eius ſanctitatis & maieſtatis.

SAcerdos itaque, ſiue accerſitus, ſiue vltrò veniens ad audiendam confeſſionem infirmi, cum primùm eius domum ingreditur dicat. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. Deinde accedens ad infirmum eum conſoletur, atque vt infirmitatem patienter ferat, hortetur; ac ſe præparet, ſi fortè appropinquaret hora eius. Poſteà dicat Pſalmum vj. Domine ne in furore tuo arguas me. Et Pſalmum xxxvij. Domine ne in furore tuo arguas me. ij. Et Pſalmum xl. Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. Pſalmum L. Miſerere mei Deus. Et Pſalmum xc. Qui habitat in adiutorio Altiſsimi. Et adhuc ſi vacat Pſalmum lxxxv. Inclina Domine aurem tuam. Et Pſalmum cij. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. cum Gloria Patri. in fine cuiuslibet Pſalmi. Poſt Pſalmos dicitur Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Sal-

℣. Saluum fac seruum tuum vel ancillam tuam.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum, vel eam.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo, vel ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Dominus opem ferat illi.
℟. Super lectum doloris eius.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Oratio.

DEus cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt nos & hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

OMnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam; vt ad preces humilitatis nostræ salutiferè visitare digneris hunc famulum tuum N. sicut visitasti Tobiam, Saram, Socrum Petri, puerumq. Centurionis, quo pristina corporis & animæ sanitate recepta, maiestati tuæ debitas in Ecclesia laudes exsoluat.

DEus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti; ita & famulum tuum N. à lecto ægritudinis misericorditer tua potentia erigat ad salutem.

DEus, qui beatum Petrum Apostolum ad Tabitham famulam tuam misisti; quatenus eius precibus suscitaretur ad vitam: exaudi nos quæsumus, & huic famulo tuo N. quem in tuo nomine visitat nostra fragilitas, desiderata tuæ clementiæ medela subueniat.

PRæueniat hunc famulum tuum N. quæsumus Domine misericordia tua, vt omnes iniquitates eius celeri indulgentia deleantur.

DEus, sub cuius oculis omne cor trepidat, & conscientiæ cunctæ pauescunt: propitiare famuli tui N. gemitibus & cunctorum eius, omniumq. medere languoribus; vt sicut nemo liber est à culpa, ita nemo sit alienus à venia.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem, vt ope misericordiæ tuæ adiutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si ægrotans est fœmina dictæ orationes dicantur in genere fœminino.
Deinde interroget infirmum an sciat: Credo in Deum, Pater noster, Aue Maria. Si dicat se scire, ipse infirmus per se ipsum, vel adiuuante Sacerdote recitet Symbolum: si nescire se dicat, reprehendat eum de hac ignorantia: & ipse Sacerdos pro illo dicat Symbolum vulgari sermone,

sermone, & in fine interroget eum, iuxta personæ qualitatem; an omnes eius articulos simpliciter credat.

Et si videbitur, aut pœnitentis ruditas, vel imperitia, aut alia ratio exposcat, specialiter interroget.

Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli, & terræ, & in Iesum Christum filium eius, & in Spiritum sanctum paraclitum ex Patre Filioq. procedentem? Respondet: Credo. Sacerdos.

Credis quòd istæ tres personæ scilicet Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint tres personæ & vnus Deus? Respondet: Credo. Sacerdos.

Credis quòd Filius Dei pro salute nostra sit incarnatus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus, mortuus, & sepultus, & ad inferos descendit, & tertia die resurrexit à mortuis: ascendit ad cœlos, & venturus est iudicare viuos & mortuos? Respondet: Credo. Sacerdos.

Credis vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, & remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam? Respondet: Credo. Sacerdos.

Credis quòd in ipsa carne, in qua nunc es, in ipsa habes resurgere in die iudicij, & recipere siue bonum, siue malum, quod gessisti? Respondet: Credo. Sacerdos.

Habes plenam voluntatem emendandi quicquid contra Deum egisti? Respondet: Habeo. Sacerdos.

Habes fidem, quòd possit tibi dimittere Deus omnia peccata tua, si confessus, & in toto corde tuo conuersus ad eum fueris? Respondet: Habeo. Sacerdos.

Vis dimittere omnibus hominibus, qui in te peccauerunt, dicente Domino: Si dimiseritis hominibus peccata eorum; & pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra? Respondet: Volo.

Et postquàm responderit se credere, interroget eum, an petat à Deo veniam peccatorum, quæ contra eius maiestatem cōmisit; & num quem patitur languorem & dolorem, æquo animo propter Deum, in remissionem peccatorum suorum toleret: & vtrum proponat, Domino pœnitentiæ spatium sibi concedente, mores suos corrigere: an velit dimittere ijs, à quibus aliqua passus est, ac vicissim eis, quos læsit, paratus sit satisfacere, & si quid debet, quoad sibi licebit, per se vel alios restituere? Quæ si præstare recuset, non suscipiat eius confessionem. Sin autem omnia pollicetur, Sacerdos eius confessionem audiat: qui si velit etiam peccatorum omnium generalem confessionem facere à die quo habuit vsum rationis, libenter est audiendus, & ab omnibus absoluendus. Si casus habet reseruatos, & grauiter infirmetur, absoluatur secundùm superiorem formã in articulo mortis pag. 293. Dominus Iesus Christus per suam pijssimam misericordiam te absoluat, &c. cum protestatione quòd ipso iure reincidet in excommunicationem, à qua tunc absoluitur, si superuiuens, habenti auctoritatem absoluendi quàm citò commodè poterit, se non præsentet. Si non habuerit casus reseruatos, sal-

tem ad cautelam eum absoluat ab omnibus censuris, dicens: Si teneris aliqua sententia &c. vt suprà in secunda forma pag. 289.

Si infirmus adeò infirmitate grauetur, vt loqui non possit, moneatur, vt nutibus vel signis respondeat, vt sacramentaliter absolui possit.

Peracta confessione, dataq. absolutione, antequàm discedat, eum hortetur ad sumendum quamprimùm viaticum corporis Domini, & Extremam Vnctionem cùm opportunum fuerit: deinde dicat.

℣. Deus tu conuersus viuificabis nos. ℟. Et plebs tua lætabitur in te.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

TE Deum omnipotentem, ac misericordem, qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, humiliter deprecamur, vt conuerso ad viam rectam huic famulo tuo N. misericordiæ tuæ veniam propitiatus indulgeas, & omnium culparum suarum vulnera, quæ post sacri lauacri veniam contraxit, ita hac confessione sanentur; vt nulla in eo vltra cicatricum signa remaneant.

EXaudi Domine preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis, vt quos cõscientiæ reatus accusat, indulgẽtia tuæ miserationis absoluat.

OMnipotens sempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tuo N. per tuam pietatem peccata relaxa, vt nec ei plus noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis prosit ad veniam.

ADesto Domine supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miseratio: sana vulnera, eiq. remitte peccata, vt nullis iniquitatibus à te separatus, tibi Domino semper valeat adhærere.

DEus cuius indulgentia cuncti indigent, memento huius famuli tui N. qui lubrica terreni corporis est fragilitate mundatus: quæsumus da veniam confitenti: parce supplici; vt qui suis meritis accusatur, tua miseratione saluetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde: Benedictio Dei omnipotentis ✠ Patris & Filij, & Spiritus sancti descendat super te, & maneat semper. Amen.

Postea verò non deserat infirmum tam periculosè decumbentem, sed ipsum frequenter visitet, quoad poterit adiuuet, & consoletur, ac super eum, vt benè habeat, manus imponat iuxtà verbum Domini: Super
Mar. 16. in f. ægros manus imponent, & benè habebunt. atque pro eo Dominum oret, & deprecetur, recitans etiam clara voce, vt ille exaudiat aliquem Psalmum, vel orationem, etiam ex prædictis, præsertim: Deus infirmitatis humanæ.

Poterunt etiam celebrari Missæ pro eodem infirmo, vel propria pro infirmis, quæ habetur in Missali, vel aliæ de tempore, vel de Sanctis, saltem cum collecta de infirmo vel infirmis, si sunt plures.

DE COMMVNIONE Infirmorum.



SAcerdos communicaturus infirmum in primis meminerit decreti Honorij Papæ III. vt cùm sacram Eucharistiam defert ad infirmũ in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat & referat manifestè ac honorificè ante pectus cum omni reuerentia & timore, semper lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ: vt ex hoc apud omnes fides & deuotio augeatur. Cap. Sanč. §. vlt. de celebr. Missarum. Hebr. 1.

Viaticum non tribuatur alicui, qui integra mente non fuerit & integro sensu, etiam si fuerit confessus peccata sua; nec continua & vehementi tussi aut continuo vomitu laborantibus.

Neque etiam ad publicos vsurarios, aut notoriè criminosos, aut excommunicatos denuntiatos deferatur; nisi priùs præmissa debita satisfactione & cautione, & sublato scandalo, vt scilicet sciatur publicè reipsa dimissum concubinatum, restitutionem factam vel promissam, aut constet excommunicatum fuisse absolutum.

Omnibus verò quibus pœnitentia in mortis articulo non negatur; nec etiam viaticum, quod verè pœnitentibus exhibetur, vnquàm denegandum est.

Aduertat autem Sacerdos, vt cùm infirmus grauiter laborat, siue communicet ieiunus, siue per modum viatici non ieiunus, dicat vt infrà: Accipe frater viaticum corporis Domini nostri Iesu Christi, vt te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam. Amen. Si verò infirmitas non sit grauis, nec videatur ex ea ægritudine decessurus, ieiunus accipiat Sacramentum; & sumenti dicatur: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Sciat etiam grauiter ægrotantem in eadem infirmitate, non ieiunum non esse pluries per modum viatici communicandum, propter reuerentiam Sacramenti; Sed ei piè poscenti post octo, vel decem dies posse concedi: Ieiuno autem, & debitè præparato, quoties deuotè petierit, non negetur.

Sunt infirmi quidam, qui metu mortis sacram Communionem, seu Sacramentorum Ecclesiæ receptionem differunt; his ostendatur, quòd matura Sacramentorum perceptio potest valde prodesse, & non nocere; & quòd forsitan nunquam dabitur talis opportunitas eorum suscipiendorum. Præterea ostendatur eis ingens virtus, & efficacia eorum; & periculum in quod laberentur si ea negligerent.

Sunt etiam laici nonnulli, qui volunt sacram suscipere Eucharistiam, sed mortem, vel mortis euentum inaniter timentes, nolunt ab Ecclesia sibi domum deferri; sed superstitiosè curant, vt domi, vel in Oratorio priuato sacra mysteria peragantur, seu Missa celebretur, & eis sancta Communio porrigatur: id quidem nequaquam concedendum est, sed vitandum, vt indignum, & alienum ab humilitate, & pietate Christiana: atque seruandum est, vt ab ipsa propria parochiali, vel cathedrali Ecclesia sibi sacra Communio deferatur.

PArochus itaque mox vt perrecturus est ad communicandum infirmum, iubeat pulsari maiorem campanam Ecclesiæ aliquot ictibus, ad conuocandos parochianos seu confratres societatis sanctissimi Corporis Christi vel alios, qui comitentur sanctisṡimam Eucharistiam cum cereis seu intortitijs, & deferant vmbellam sericam seu baldachinum.

Moneat eos, à quibus requiritur, vt mundent cubiculum, vbi iacet infirmus, in quo præparent mensam coopertam linteo mundo, vbi reponendum est vasculum seu calix cum Sacramento.

Adsint luminaria, duæ ampullæ, vna cum vino, & altera cum aqua.

Præparent linteum seu tobaleam apponendam ante pectus infirmi cùm communicatur, aliaq. ad ornatum loci pro illius facultate.

Parochianis seu alijs congregatis, Sacerdos paret se superpelliceo stola & pluuiali albo, vbi haberi poterit.

Adsint aliqui acolythi seu clerici, pro loci conditione, superpelliceis induti, quorum vnus præcedat deferens laternam in hasta cum lumine, hyemali præsertim & nocturno tempore; alter vas cum aqua benedicta, alius sinistra deferat librũ, dextera verò pulset tintinnabulum seu campanulam.

In Ecclesijs Collegiatis adsint etiam vnus vel plures presbyteri superpelliceis induti, qui comitentur Sacerdotem deferentem Sacramentum.

Parato baldachino & luminaribus accensis, parochus lauet manus, accedat ad altare, extendat corporale, præparet pyxidem seu vasculum, vel calicem vacuum, vbi deferendum sit Sacramentum aperit custodiam, genuflexus adorat Sacramentum, accipit vas cum Sacramento, illud ponit super altare, extrahit inde aliquas particulas, vt scilicet semper aliquæ remaneant post communionem infirmi, ponitq. eas in pyxide, quam operculo suo tegit, & desuper imponit velum. Si non adsit pyxis seu vasculum, ponatur in fundo calicis, quem cooperit patena, & desuper ponit pallam, deinde velum sericum: reponit Sacramentum in custodia, & claudit: postea imponitur Sacerdoti velum sericum super humeros: Sacerdos accipit Sacramentum, sinistra deferens pyxidem seu calicem cum Sacramento; dexteram autem pyxidi seu calici cooperto superimponat.

Laici accipiunt baldachinum, præcedit Acolythus cum laterna: sequuntur duo clerici, vnus cum aqua benedicta & aspersorio, alter deferens librum & campanulam, quam iugiter pulset; deinde deferentes intortitia.

Postremò procedit Sacerdos deferens Sacramentum sub baldachino dicens Psalmum **Miserere mei Deus**, vel alios Psalmos, seu cantica.

Sacramentum autem ipsum supposito mundo velamine, vt prædictum est, ferat & referat manifestè ac honorificè ante pectus cum omni reuerentia & timore, semper lumine præcedente.

Ingressus Sacerdos locum vbi iacet infirmus, dicat: **Pax huic domui.**

℟. **Et omnibus habitantibus in ea.**

Posteà deposito calice super mensam, illud genuflexus adoret. Surgens accipit aspersorium cum aqua benedicta, aspergit infirmum & cubiculum, dicens Antiphonam: **Asperges me Domine**, & Psalmum L. **Miserere**

ſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. cum hoc primo tantùm verſu. Gloria Patri,& Filio,& Spiritui ſancto. ℟. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Deinde repetitur Antiphona: Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. poſtea ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde accedens ad infirmum, eum alloquatur, & videat an ſit benè diſpoſitus ad ſuſcipiendum ſanctiſsimum Chriſti corpus pro viatico animæ ſuæ, ad quod deuotè percipiendum paucis verbis eum hortetur & accendat, & ſi velit iterum de aliquibus confiteri ſeu reconciliari, libenter eum audiat, & abſoluat. Quibus expeditis infirmus, vel Sacerdos, vel aliquis alius pro illo facit confeſsionem generalem Latino vel vulgari ſermone, iuxta perſonæ qualitatem: deinde abſolutè dicat Sacerdos.

Dominus Ieſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: de quorum numero quamuis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſoluat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, quæcunque cogitatione, locutione, operatione egiſti; & à nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. ℟. Amen. *Matth.18.*

Et accedens ad Sacramentum, eleuat corpus Chriſti de pyxide ſeu calice, & oſtendens infirmo, interrogat eum, iuxta qualitatem perſonæ: Credis hoc eſſe corpus Chriſti Saluatoris noſtri? quo annuente vel reſpondente: Credo. dicat Sacerdos Latino vel vulgari ſermone, ſimiliter ſecundùm perſonæ qualitatem. Dic ſicut ego dico: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo,& ſanabitur anima mea. Et iterum, & tertiò repetat, ſi poteſt; ſi non poteſt ſaltem ſemel ſubmiſſa voce. Quo dicto, Sacerdos dans infirmo Euchariſtiam, dicat:

Accipe frater viaticum corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno,& perducat in vitam æternam. Amen.

Poſtea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens. Infirmo autem detur purificatio. Deinde dicit ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, te fideliter deprecamur, vt accipienti fratri nostro vel sorori nostræ sacrosanctum corpus Domini nostri Iesu Christi filij tui, tam corpori quàm animæ prosit ad remedium sempiternum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Quo dicto, accipiens vas cum Sacramento, cum eo facit signum crucis super infirmum, & reuerenter illud deferens, ordine quo venerat, reuertitur ad Ecclesiam, dicendo Psalmum. Miserere mei Deus. Reuersus ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super altare: deinde dicit ℣. Panem de cœlo præstitisti eis. ℟. Omne delectamentum in se habentem. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorũ. ℟. Amen.

Posteà cum Sacramento in pyxide vel calice velo operto, faciat signum crucis super populum dicens:

Pax & benedictio ✠ Domini nostri Iesu Christi descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

Si aliquis Prælatus vel insignis persona obtinet licentiam; vt in cubiculo celebretur Missa, infirmus communicet post communionem Sacerdotis, facta Confessione, & dicatur ei, Accipe viaticum &c. & in Missa dicatur collecta pro infirmo.

Si etiam communicandus fuerit Prælatus vel Sacerdos, decet eum dum communicat, habere stolam ab humeris pendentem.

DE VISITATIONE INFIRMORVM ante, vel post sacram Communionem.


Vm parochus seu Sacerdos ex suo officio siue vocatus infirmum decumbentem, post primam illius visitationem, & peccatorum confessionem exceptam, vel etiam ante, vel post sacram ei exhibitam communionem, ad eum iuuandum visitare, & aliquas preces super eum recitare voluerit, infrascripto modo facere poterit, videlicet.

Primò intrans domum, vel cubiculum infirmi dicat: Pax huic domui.
℟. Et omnibus habitantibus in ea. & accedens ad lectulũ infirmi, eum blandè leniterq. salutet, & alloquatur, ad patientiam hortetur, & aliqua sancta verba pro ipsius exhortatione, & consolatione dicat.

Hortetur præterea, vt si quid post peccatorum confessionem iam factam, ei pro suæ conscientiæ exoneratione occurrat, sibi siue confessario suo declaret: præsertim verò si alicuius mortalis peccati, quod antea oblitus fuerat, recordetur, confiteatur.

Posteà ad renouandum bonum propositum infirmi, Sacerdos in hanc sententiam dicat:

Charissime, si Dominus tibi salutem corporis præstare dignabitur, nonne proponis de cætero pro viribus tuis à peccatis cauere, & eius mandata pro posse seruare?

Quo promittente, Sacerdos dicat.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

INtroeat quæsumus Domine Iesu Christe domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus dæmonum; adsint Angeli pacis; domumq. hanc deserat effugata discordia. Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum: benedic ✠ conuersationi nostræ: sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. ℟. Amen.

Deinde recitet Psalmum vj.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.
Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.
Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?
Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.
Turbatus est à furore oculus meus, inueterui inter omnes inimicos meos.
Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.
Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.
Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubescant valde velociter.
Gloria Patri. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cũ spiritu tuo. ℣. Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine. Dum Sacerdos dicit: Sequentia sancti &c. faciat signum crucis de more, super se in fronte, ore, & in pectore; & similiter super infirmum, si fuerit masculus; & is ob infirmitatem non potest se signare. Si autem fuerit fœmina, dum Sacerdos se signat, illa per semetipsam in locis prædictis se signet si potest; si verò non potest, alia mulier eam signet: & hoc idem in sequentibus Euangelijs seruetur.

Matth. 8. IN illo tempore: Cùm introisset Iesus in Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alij veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis; non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo N. pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxiliũ, vt reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Psalmus xv.

COnserua me Domine, quoniam speraui in te.
Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorũ meorũ non eges.
Sanctis qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.
Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: posteà accelerauerunt.
Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.
Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.
Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.
Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear.
Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.
Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.
Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem.
Gloria Patri. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia sancti Euangelij secundum Marcum.
℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia ijs qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: serpentes tollēt: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus, postquàm locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. *Marci 16. c*

Oremus. Oratio.

VIrtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo N. vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus xix.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.
Mittat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.
Memor sit omnis sacrificij tui: & holocaustum tuum pinguefiat.
Tribuat tibi secundùm cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.
Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.
Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiat illum de cœlo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ eius.
Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.
Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.
Domine saluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.
Gloria Patri. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

Lucæ 4. f IN illo tempore: Surgens Iesus de Synagoga introiuit in domum Simonis: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam. Et continuò surgens ministrabat illis. Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad Iesum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

Oremus. Oratio.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis infusa virtutis tuæ dignatione confirmas: vt salutaribus remedijs pietatis tuæ corpora nostra & mentes vegetentur: super hunc famulum tuum propitius intende; vt omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus LXXXV.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego.
Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.
Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.
Quoniam tu Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.
Auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.
In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudisti me.
Non est similis tui in dijs Domine, & non est secundum opera tua.
Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.
Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.
Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum vt timeat nomen tuum.
Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.
Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.
Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt

runt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Gloria Patri. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia multum iam tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum & ambula. Interrogauerunt ergo eum. Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat, quis esset: Iesus enim declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Oremus. *Ioan. 5.a*

Oratio.

REspice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refoue quam creasti; vt castigationibus emendata, continuò se sentiat tua medicina saluatam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus xc.

QVi habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.

Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.

A sa-

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionẽ peccatorũ videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me speravit liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Gloria patri.

Antiphona.

Media vita in morte sumus: quem quærimus adiutorem nisi te Domine, qui pro peccatis nostris iuste irasceris? Sancte Deus, Sancte fortis, Sãcte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. ℣. Ne proijcias nos in tempore senectutis: cùm defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos Domine. ℟. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. ℣. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine: & armis tuæ potentiæ protege nos semper Deus noster. ℟. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. ℣. Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. ℟. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. ℟. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. ℣. Post partum Virgo inuiolata permansisti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis. ℣. Angelis suis Deus mandauit de te. ℟. Vt custodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, infirmitatem famuli tui propitius respice: atque ad protegendum eum dexteram tuæ maiestatis extende. Oratio.

COncede hunc famulum tuum, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere; & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Oratio.

DEus qui miro ordine Angelorum ministeria hominumq. dispensas; concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.

Oratio.

TE Domine deprecamur, vt intercedentibus omnibus sanctis tuis famulo tuo N. indulgentiam concedas: fide, spe, & charitate eum repleas: mentē eius ad cœlestia desideria erigas: & ab omni aduersitate eum defendas, & in bono & sancto proposito facias perseuerare.

Oratio.

DEus qui facturæ tuæ semper pio dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum N. ex aduersa valetudine sui corporis laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, & cœlestis gratiæ præsta ei medicinam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Completa vltima oratione, Sacerdos imponat dexteram manum super caput infirmi, & dicat sequentem orationem super eum.

Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Iesus Mariæ filius mundi salus & Dominus, meritis & intercessione sanctorum Apostolorum suorum Petri & Pauli vel sancti N. patroni loci, vel infirmi, aut etiam beati Vincentij Confessoris sui, sit tibi clemens, & propitius. Amen.

Postea dicat ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Initium sancti Euangelij secundùm Ioannem.

℟. Gloria tibi Domine.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sangui- Ioan. 1.

nibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Postea benedicens infirmum subiungat dicens.

Dominus Iesus Christus apud te sit, vt te defendat. Intra te sit, vt te conseruet. Ante te sit, vt te deducat. Post te sit, vt te custodiat. Super te sit, vt te benedicat; ✠ Qui cum Patre, & Spiritu sancto, in vnitate perfecta viuit & regnat in sécula seculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

Si fuerint plures infirmi in eodem cubiculo vel loco, preces & orationes prædictæ dicantur super eos in numero plurali.

Quæ etiam poterunt arbitrio Sacerdotis breuiari.

DE FIDEI CATHOLICAE professione ab aliquibus infirmis fieri consueta.



Vm aliquando ægrotantes viri pij & Orthodoxæ fidei zelatores consueuerint, vel in testamento, vel extra illud fidem Catholicam profiteri iuxta Symbola, quibus vtitur sancta mater Ecclesia, vel etiam iuxta formam ex decreto sacri generalis Concilij Tridentini, à sancta Sede Apostolica traditam, ad testationem atque declarationem fidei Orthodoxæ, in qua vixerunt, & in qua decedunt, seu decedere intendunt: valdè laudanda est, his præsertim temporibus, pia hæc consuetudo; atque ad eam faciendam fideles Catholici, qui decumbunt, inuitandi & adhortandi sunt, vt vel voce, vel etiam scripto, sanctam Orthodoxam fidem profiteantur, & protestentur. Qua de causa & eandem formam hic inserere visum est; cuius tenor is est.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet.

CREDO in vnum DEVM Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioq. procedit. Qui cum Patre & Filio, simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq. eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item sacram Scripturam iuxtà eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum admitto, nec eam vmquàm, nisi iuxtà vnanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis,

ris, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq. gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis & defunctis: atque in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fieriq. conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum verumq. Sacramentum ſumi.

Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſq. ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari: ſimiliter & Sanctos, vnà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſq. orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiſsimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq. vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco, Romanoq. Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis, ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulq. contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Aut fiat sequens protestatio, seu testamentum quoddam fidei cuilibet Christiano iam morituro valdè vtile.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego N. infelix peccator redemptus pretiosissimo sanguine Domini nostri Iesu Christi, per magnam ipsius erga me dilectionem, non per meum meritum, fateor, & agnosco publicè vel hoc chirographo, vel his verbis meis coràm omnipotenti Deo, & Beatissima semper Virgine Dei genitrice Maria, & sancto Angelo Dei, cuius custodiæ ab ortu meo traditus fui, atque omnibus Angelis, & Sanctis, qui in cœlo sunt, & coràm vobis quotquot hic adestis, quòd ego sum & esse volo verè obediens sanctæ Matris Ecclesiæ filius, quemadmodum sincerè Christianum & Catholicum oportet; atque in ea sancta fide Catholica, quam sancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia profitetur, docet & prædicat; & in qua omnes sancti decesserunt, decedere, & mori volo & intendo: Nec ad momentum temporis diutiùs viuere affecto, nisi quantùm diuinæ placuerit pietati, cui in omnibus conformiter meam subijcio voluntatem.

Credoq. & fateor generatim omnes & singulos articulos fidei Christianæ, quibus credendis vnusquisque Christi fidelis & verè Catholicus obligatus existit, præcipuè vniuersas particulas in duodecim articulis fidei Christianæ, vel apertè expressas, vel rationabiliter inclusas, secundùm quod à Spiritu sancto per sanctos duodecim Apostolos ex veritate Euangelica nobis traditi sunt.

Ad hæc credo, & adhæreo illorum interpretationibus, siue declarationibus, non quorumuis, aut quibusuis: sed ijs quæ per sanctos Patres editæ, à sanctissimis Concilijs receptæ, admissæ, approbatæ, confirmatæq. sunt.

Et vt breuiter dicam: Credo quicquid verè Christianus, & Orthodoxus credere debet, & tenetur.

In hac tàm immobili, tamq. firma fide gaudeo ego ex toto corde mori, tenens, ac offerens hanc scripturam, quam habeo in manibus meis, tanquàm firmissimum & tutissimum aduersus omnes insultus, insidias, ac fraudes diaboli, scutum.

Et si (quod Deus auertat) fieret, vt ego, vel ex pusillanimitate propter tremendum diuinum iudicium, cui astare habeo, vel impugnatione, aut suggestione diaboli, aut debilitate rationis, aut grauitate morbi, seu violentia ægritudinis quicquam aduersus prædicta cogitarem, loquerer, facerem, aut in aliquid perfidiæ, diffidentiæ, seu desperationis, vel dubitationis caderem, hoc ipsum qualecunque futurum esset, ex nunc prout ex tunc sana mente existens, reuoco, annullo, ac pro reuo-

cato & anullato, & pro non dicto & facto habere volo, intendo, & declaro, eo quòd non animo ſano & deliberato id eueniret; me penitus ſubmittens diuinæ pietati, illudq. maledico, deteſtor & anathematizo hic nunc in veſtra omnium præſentia, quemadmodum facerem, ſi tunc compos mentis eſſem, & bene valerem.

Super quibus omnibus appello & rogo vos omnes, quicunque hic præſentes eſtis, teq. ſancte Angele Dei meum cuſtodem; vt huius proteſtationis coràm omnipotente iudice; & curia cœleſti teſtimonium feratis.

Quod verò in me eſt, ignoſco & remitto omnes iniurias mihi quomodocunque irrogatas, idipſum petens mihi fieri ab his, quos vel verbis, vel factis vnquàm offendi.

Petoq. & ex toto corde deſidero particeps fieri omnium bonorum operum, quæ à ſanctis hominibus per totam Eccleſiam, vel hactenùs facta ſunt, vel adhuc fient: præcipuè autem amariſſimæ paſſionis, & innocentiſſimæ mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti: cum qua, & mea naturalis, ac voluntaria mors ſtet pro omnibus peccatis meis.

Atque vtinam, neque contra Deum, neque contra leges eius, neque contra ſuperiores, neque contra proximum, aut me ipſum vnquàm peccaſſem.

Poſtremò gratias ago omnipotenti Deo pro omnibus beneficijs ipſius mihi collatis, cõmendoq. corpus & animam in manus eius, & in amaritudinem paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui laus, honor, & gloria, nunc & in æternum. Amen.

DE

DE ADMINISTRATIONE Sacramenti Extremæ Vnctionis.



Vamuis apud veteres aliquandò consuetudo fuerit, vt post pœnitentiam & reconciliationem infirmorum, Extrema primùm eis vnctio, ac deinde sacra Communio exhiberetur; (vt ex diuersis sacris canonibus, ac vetustis codicibus, Pontificalibus, & Ordinibus administrandorum Sacramentorum manifestè liquet) posteà tamen ex generali consuetudine, quæ & hodiè vniuersaliter in Latina & Occidentali Ecclesia viget, factum est, vt priùs sacra Communio, postmodùm verò Extremæ Vnctionis Sacramentum infirmis exhibeatur. Atque ideò & hunc ordinem hic seruare oportet.

Parochus in eo quammaximam adhibeat curam, ne quis in sua parochia sine Ecclesiæ Sacramentis decedat. Itaque infirmos frequenter visitet, super eos manus imponat, pro illis oret, sacrificium offerat, & cùm viderit aliquos graui morbo laborare, non longè absit ab Ecclesia, sed præstò sit & paratus nocte ac die absque mora ad eos accedere, & cùm opus fuerit, non nimiùm differat Sacramentum Extremæ Vnctionis illis præbere: quos etiam & alios fideles hortetur, vt hoc Sacramentum sana mente quoad fieri potest, suscipiant; eisq. significet illud gratiam conferre, & reliquias peccatorũ tollere, & ad corporis sanitatẽ, si animæ expedierit, consequendam prodesse, iuxta illud Iacobi Apostoli: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. *Iacob. 5. c*

Proinde doceat non modò non esse paruipẽdendam huiuscemodi medicinam, quæ animæ, corporisq. medetur languoribus, verùm etiam fideliter seruandam, & libentissimè suscipiendam. Quamuis autem de presbyteris loquatur Apostolus, quibus oleo sanctificato permittitur vngere infirmos: non est tamen, vt S. Innocentius Papa respondit, ambigendum de Episcopo an possit, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcircò de presbyteris dictum est, quia Episcopi alijs occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem ægrotum à se visitandum, & benedicere, & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere. *Innoc. I. epist. 1. ad Decentium Eugub. cap. 8. Tom. 1. Cõcil.*

Nec quispiam offendatur, si Innocentius & qui eum referunt, oleum infirmorum Chrisma appellent: non enim ita vocant quòd idem sit, quod sacrum oleum Chrismatis seu Confirmationis, in quo balsamum admiscetur, quod speciali nomine Chrisma nuncupatur; sed quòd generali voce Chrisma ab eis pro vnctione accipiatur & vsurpetur.

Habeat parochus in loco tuto cum alijs oleis benedictis sub eadẽ custodia, siue etiam seorsum in peculiari loco nitido, ornato vel depicto, sub claue & sera, & sub simili custodia oleum infirmorum in maiori phiala seu vase argenteo vel stanneo, quod distinctum & seiunctum sit ab alijs phialis seu vasis olei Catechumenorum & Chrismatis, characteribus maiusculis inscriptum OLEVM INFIRMORVM, cum operculo, quod sit in medio paululum concauum, & ita vasi affixum & aptatum, vt cùm aperitur non disiungantur.

Oleum verò quotannis ab Episcopo feria quinta in Cœna Domini renouatum, vetere combusto, cum alijs sacris oleis accipiat ab eo, siue ab eius Cathedrali Ecclesia, in quod quidem vas, siquando vsu deficere videretur, & aliud benedictum haberi non posset, infundatur modicum olei non consecrati, & commisceatur.

Habeat etiam aliud vasculum minus cum simili operculo, similiter argenteum, vel saltem stanneum, ad quotidianum vsum vngendi infirmos, & in illud de maiori phiala infundat ipsum oleum: & seruetur siue solum siue in gossipio seu bambacio aut in

ſtupa, vt ſuperiùs dictum eſt de ſacro Chriſmate & oleo Catechumenorum.

Ad vitandum autem periculum euerſionis vel effuſionis ipſius olei propter fortuitum lapſum ſeu caſum presbyteri in itinere, habeatur ſacculus ſeu burſa de ſerico, ſeu armeſino, ſiue cymatili violaceo, aut alia ſimili tela, vel materia, intra quem dictum vaſculum olei incluſum, cum chordulis etiam ſericeis oblongis, quibus ſacculus conſtringi, & collo presbyteri appendi poſſit, vt ipſe manibus comprehenſum tutiùs & commodiùs deferat ad infirmos.

Nouerit autem parochus, quibus hoc Sacramentum tribuatur; non enim præbendum eſt, niſi adultis infirmis moribundis, ſeu in periculo mortis conſtitutis; vel ijs qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri etiam ſine alia infirmitate.

Probatur etiam vt adultis Neophytis in articulo mortis ſeu paulò ante baptizatis, hoc Extremæ Vnctionis Sacramentum debeat exhiberi.

Non miniſtretur prælium inituris, peregrinationem ſuſcepturis, nec nauigaturis, neque reis mox vltimo ſupplicio plectendis; non mulieribus in partu laborantibus, nec pueris non habentibus vſum rationis.

Impœnitentibus quoque omninò denegetur.

Infirmis autem, qui dum ſana mente & integris ſenſibus eſſent, illud petierunt, ſeu veriſimiliter petijſſent, etiam ſi deinde amentes effecti ſint, vel delirent aut non ſentiant, nihilominùs præbeatur.

Si infirmus dum phreneſi aut amentia laborat veriſimiliter poſſet facere irreuerentiam Sacramento, vel aliquam immundiciam; non inungatur, niſi firmiter teneatur.

Si laborat in extremis, citò vngatur, ne ſine vnctione decedat, incipiendo ab eo loco, Per iſtam ſanctam Vnctionem &c. vt infra: deinde, ſi adhuc ſuperuiuat, dicantur orationes prætermiſſæ, & aliæ ſuo loco poſitæ.

Si autem dum inungitur infirmus decedat, non proſequatur presbyter Vnctionem in alijs locis non vnctis, & prædictas orationes omittat.

Quòd ſi acciderit aliquem poſt peccatorum ſuorum confeſſionem, aut vi morbi, aut grauitate vulnerum, aut alia cauſa ad exitum vitæ properare; ideoq. confeſtim ipſum communicari atque etiam inungi oportere; tunc cum communione, quæ ad eum defertur, poterit & oleum infirmorum ſimul deferri; non tamen per ipſum presbyterum qui defert ſacram Euchariſtiam, ſi alius presbyter vel Diaconus haberi poſſit qui deferat, ſuperpelliceo & ſtola pro ſuo quiſque ordine indutus, qui cum ſacro oleo infirmorum ſequatur etiam præcedente cruce ſine haſta vt infrà. Et poſtquàm infirmus ſuſceperit ſacram Euchariſtiam, mox imminente periculo debet inungi oleo infirmorum.

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit, & infirmus cùm viſus eſſet meliùs habere, iterum in periculum mortis incidat.

Sacerdos, vbi commodè fieri poteſt, vt in Eccleſijs Collegiatis, plures ſecum adhibeat presbyteros cùm vngit infirmum: in alijs verò Eccleſijs ſaltem vno clerico præſente, aut alijs pueris ſcholaribus vel confratribus Eccleſiæ, & vrgente neceſſitate ipſe ſolus miniſtret.

Sciat autem formam huius Sacramenti eſſe verba illa deprecatoria, quæ in Vnctionibus proferuntur, veluti ſecundùm vſum Romanæ Eccleſiæ. Per iſtam ſanctam Vnctionem & ſuam pijſſimam miſericordiam [parcat vel] indulgeat tibi Dominus quicquid per viſum, [ſeu oculorum vitio] deliquiſti.

Tum etiam nouerit formam non ſeruari & nihil agi per verba indicatiua tantùm, puta, Vngo oculos tuos, vel manus tuas & ſimilia ſine verbis deprecatiuis, cuiuſmodi hactenùs ego non reperi.

Et quamuis ea occaſione aliqui Theologi referant, quòd multæ Eccleſiæ habent pro forma verba indicatiua, vt Vngo oculos tuos &c. & ideo quæſierint, an valeat, & de ea re plura extra rem dixerint: cùm nuſquam reperiatur talis for-

ma

ma per verba indicatiua tantùm, seu per orationem indicatiuam tantùm siue verbis deprecatiuis hoc Sacramentum conferri. Sed & libri & ritus Ecclesiarum, qui pro ea parte citantur, quòd habent verba indicatiua, paulò post habent etiam verba deprecatiua, vt, Per istam vnctionem & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, vel similia verba secundùm loca inuncta. Et sic non adest diuersitas, nisi quòd superadditur verbum indicatiuum, Vngo. Quare quæstio inanis, & frustranea est.

Quoniam autem huiusmodi forma varijs verbis traditur in diuersis Ecclesijs, etiam præmittendo verba indicatiua, & subiungendo deprecatiua, vnaquæque Ecclesia suam potest retinere formam, modò semper adhibeantur verba deprecatiua; vt, Vngo hos oculos oleo sanctificato, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ & postea sequitur. Per istam vnctionem & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum. Et similiter ad manus, & ad pedes, & ad os, & ad cætera loca vnctionis.

Cęterùm apud sanctam Romanam Ecclesiam vnam tantùm in hoc Sacramento deprecandi formulam traditam, & passim in Italia & toto orbe receptam esse compertissimum & exploratissimum est; quæ pauculis quibusdam vocibus immutatis, eundem tamen sensum duobus modis exprimentibus, profertur; quorum alter est.

Ad oculos.

Per istam sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam parcat vel indulgeat tibi Dominus quicquid oculorum vitio deliquisti.

Ad aures. quicquid aurium vitio deliquisti.
Ad nares. quicquid narium vitio deliquisti.
Ad os. quicquid linguæ, vel oris vitio deliquisti.
Ad manus. quicquid tactus vitio deliquisti.
Ad pedes. quicquid incessus vitio deliquisti.
Ad lumbos. quicquid lumborum, aut carnis vitio deliquisti.

Alter verò modus est priori similis: licet paucis in verbis dissimilis, videlicet

Ad oculos.

Per istam sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum. & sic de [illegible]quis, variando per sensus.

Ad aures. quicquid deliquisti per auditum.
Ad nares. quicquid deliquisti per odoratum.
Ad os. quicquid deliquisti per gustum & locutionem.
Ad manus. quicquid deliquisti per tactum.
Ad pedes. quicquid deliquisti per gressum, vel secundum alios, per incessum.
Ad lumbos vel renes. quicquid lumborum delectatione deliquisti.

Quare & in huius Sacramenti exhibitione prædicta forma secundùm ritum Romanæ Ecclesiæ alterutro modo seruanda est, aut vt hic ponitur, sicut & apud alias Ecclesias propria, si deprecatiua etiam verba continet, seruari potest.

Quòd autem apud aliquos immutentur aliqua verba, vt pro, indulgeat tibi Deus, dicatur parcat, vel remittat, vel dimittat, aut ignoscat (quod magis Latinè diceretur) aut sanet quicquid deliquisti, aut, commisisti, non variat essentiam: sed quoniam nulla fit sententiæ immutatio, constat eandem ab omnibus formam religiosè seruari.

Si quis careat aliquo membro, vt oculis, nihilominùs vngatur in viciniori parte, & dicatur, quicquid oculorum vitio deliquisti. Et idem seruetur in mutilatis, vt si quis careat manibus vel pedibus, vngatur in parte illi membro, quo caret, propinquiore; & nihilominùs dicatur, quicquid tactus vel incessus vitio deliquisti.

In mulieribus autem Vnctio ad lumbos, siue ad renes, honestatis gratia potest omitti.

IGitur Sacerdos acceſitus ad vngendum infirmum, omnibus vt ſuprà animaduerſis, dicat ijs à quibus acceſitur, vt (vbi commodè fieri poteſt) iuxta lectum infirmi parent paruam menſam, coopertam mappa candida, cum lance ſeu vaſe, in quo ſit bambacium, ſeu ſtupa ad abſtergendas vnctiones, & medulla panis ad abſtergendos digitos, vas cum aqua ad abluendas manus ipſius Sacerdotis, cũ linteolo ſeu mantili, candela parua cerea, quæ deinde accenſa ipſi vngenti lumen præbeat.

Moneat etiam, vt quoad fieri poteſt, lintea infirmi ſint munda; &, ſi abſque eius incommodo fieri poteſt, aqua tepida vel tela de ea madida lauentur eius manus & pedes, ad vnctionem ſuſcipiendam.

Facto conſueto ſigno campanæ, vocet alios presbyteros Eccleſiæ, ſi adſint, vt ſuperpelliceis ſeu cottis induti adiuuent, atque acoluthos & clericos, vel ſaltem ſcholares Eccleſiæ, vt miniſtrent quoad fieri poteſt cottis induti; aut ijs deficientibus ſaltem Confratres alicuius piæ Confraternitatis ſeu Societatis ſaccis indutos. Vnus eorum deferat crucem ſine haſta (quæ crux deinde relinquenda erit in cubiculo infirmi) duo accipiant duo candelabra cum candelis accenſis, vel duas laternas cum luminibus, noctis præſertim tempore, & pluuiæ & ventorum. Alius deferat vas cum aqua benedicta & aſperſorio, & is, vel alius librum Ritualem, ſeu Sacerdotalem.

Campanula autem ſeu tintinnabulum non defertur.

Ipſe verò Curatus ſuperpelliceo & ſtola violacei, vel, ſi deſit, alterius coloris, prout poteſt, deſuper indutus, genuflexus ad altare aliquantiſper, ſi vacat, oret, ac deuotè ſequentem orationem.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me indignum, qui primùm miſericordia tua indigeo, clementer exaudi; & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti huius operis miniſtrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ virtutis eſt, operare. Per Chriſtum Dominum noſtrũ. ℟. Amen.

Tunc appendat ſibi ad collum ſacculum ſeu burſam ſericam cum chordulis etiam ſericeis, & accipit vas cum ſacro oleo infirmorum, & illud aptè ponit intra dictum ſacculum ſeu burſam; & ſic ſacculo incluſum & manibus comprehenſum ferat ad infirmum.

Deinde omnes abſque ſonitu campanulæ ſeu tintinnabuli procedant, & feſtinent, dicendo Pſalmum L. Miſerere mei Deus. infrà pag. 330.

Cùm autem peruentum fuerit ad locum, vbi iacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit: Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde cruce & candelabris ſeu luminaribus depoſitis in parua menſa parata, ipſe deponit de collo ſuo burſam, & ex ea depromit vaſculum olei, illudq. in eadem menſa ponit, & ſtans ante ægrotum, illum humaniter

maniter & benignè salutet, & accipiens crucem, cum veneratione illam ei porrigat deosculandam.

Posteà, si vacat, ægroto cæterisq. præsentibus, huius Sacramenti vim, & vtilitates explicet, & antequàm illud ministret, eundem ægrotum paucis consoletur & hortetur bono esse animo, & potiùs gaudere debere, quòd à Deo in cœlestem patriam vocetur, quàm si in hac miserá vita diutiùs morandum esset; & denique eum à cogitatione præsentis vitæ remouere, & ad gaudium futuræ inducere studeat.

Dicat vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

INtroeat Domine Iesu Christe domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus dæmonum, adsint Angeli pacis, domumq. hanc deserat effugata discordia. Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum, & benedic ✠ nostræ conuersationi: sanctifica ✠ nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. ℟. Amen.

ORemus & deprecemur Dominum nostrum Iesum Christum, vt benedicendo benedicat ✠ hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum custodem, & faciat eos sibi seruire ad considerandum mirabilia de lege sua: auertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

EXaudi nos Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde in modum crucis aspergit infirmum aqua benedicta, posteà cubiculum, dicendo antiphonam. Asperges me Domine, cum primo versu Psalmi. Miserere mei Deus. cum Gloria Patri. & repetitur Antiphona. Asperges me Domine. vt suprà de Communione Infirmorum.

Deinde si ægrotus voluerit confiteri seu reconciliari, audiatur & absoluatur. Posteà faciat confessionem communem Latino vel vulgari sermone, secundùm personæ qualitatem, dicens: Confiteor Deo omnipotenti. vel alius pro eo.

Quo dicto, Sacerdos dicat.

DOminus noster Iesus Christus, qui dixit discipulis suis, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo: de quorũ numero quamuis indignos nos esse voluit, ipse te absoluat per ministerium nostrum

ab omnibus peccatis tuis quæcunque cogitatione, locutione, operatione, & negligenter egisti, & à peccatorum nexibus absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Deinde presbyteri astantes, seu alij clerici in cubiculo infirmi vel in alio proximo, vt poterunt dicant distinctè & moderatè legendo septem Psalmos pœnitentiales cum Litanijs & Precibus sequentibus: vel si alij abfuerint, ipse Sacerdos incipiat, & tunc vel postea prosequatur.

Psalmus vj.

Antiphona. Ne reminiscaris.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus, inueterani inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubescant valdè velociter.

Gloria Patri.

Psalmus xxxj.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorũ tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt o[illegible] dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata [illegible] e manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum co[illegible]

Delictum meum cogn[illegible] itiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor a[illegible] ino: & tu remisisti impietate[illegible]

Pro hac orab[illegible] rtuno.

Veruntame[illegible] cum non approximabunt[illegible]

Tu es re[illegible] ndedit me: exultatio mea [illegible]

Intelle[illegible] c, qua gradieris: firmabo super[illegible]

Nolite

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus.
In camo & fræno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circundabit.
Lætamini in Domino, & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde.
Gloria Patri. Pſalmus xxxvij.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.
Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.
Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.
Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.
Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.
Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.
Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.
Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.
Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.
Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.
Amici mei, & proximi mei: aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt.
Et qui iuxta me erant, de longè ſteterunt: & vim faciebant qui [illegible]bant animam meam.
Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & do[illegible] meditabantur.
Ego autem tanquàm ſurdus non audiebam: & ſicut mu[illegible] os ſuum.
Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non ha[illegible]gutiones.
Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies [illegible]
Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi [illegible] uentur pedes mei, ſuper me magna lo[illegible]
Quoniam ego in flagella paratus ſum [illegible] ſemper.
Quoniam iniquitatem meam annun[illegible]
Inimici autem mei viuunt, & [illegible] ſunt qui oderunt me iniquè [illegible]
Qui retribuunt mala pro [illegible] bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.
Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ.
Gloria Patri.

Psalmus L.

Miserere mei Deus: secundùm magnam misericordiam tuam.
Et secundùm multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.
Ampliùs laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.
Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.
Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.
Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.
Ne proijcias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.
Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.
Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.
Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.
Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.
Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hierusalem.
Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.
Gloria Patri.

Psalmus CI.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.
Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.
In quacunque die inuocauero te: velociter exaudi me.
Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.
Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæsit os meum carni meæ.
Similis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.
Vigilaui: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduersùm me iurabant.
Quia cinerem tanquàm panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.
A facie iræ indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me.
Dies mei sicut vmbra declinauerunt: & ego sicut fœnum arui.
Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem, & generationem.
Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.
Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.
Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.
Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.
Respexit in orationem humilium: & non spreuit preces eorum.
Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.
Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.
Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum.
Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hierusalem.
In conueniendo populos in vnum: & reges vt seruiant Domino.
Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.
Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, & generationem anni tui.
Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli.
Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.
Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.
Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorũ in seculum dirigetur.
Gloria patri.

Psalmus CXXIX.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meã.
Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.
A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israel in Domino.
Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael: ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria patri. Pſalmus CXLII.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iuſtitia.

Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum; meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperaui.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animã meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.

Gloria Patri &c. Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

LITANIAE.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix ora.
Sancta virgo virginum ora.
Sancte Michael ora.
Sancte Gabriel ora.
Sancte Raphael ora.
Omnes ſancti Angeli, & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum ſpirituum ordines, orate.
Sancte Ioannes Baptiſta ora.
Omnes ſancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.

Sancte

Sancte Petre ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Andrea ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Ioannes ora.
Sancte Thoma ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Philippe ora.
Sancte Bartholomæe ora.
Sancte Matthæe ora.
Sancte Simon ora.
Sancte Thadæe ora.
Sancte Matthia ora.
Sancte Barnaba ora.
Sancte Luca ora.
Sancte Marce ora.
Omnes sancti Apostoli, & Euangelistæ, orate.
Omnes sancti discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane ora.
Sancte Laurenti ora.
Sancte Vincenti ora.
Sancti Fabiane, & Sebastiane, orate.
Sancti Ioannes, & Paule, orate.
Sancti Cosma, & Damiane, orate.
Sancti Geruasi, & Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Syluester ora.
Sancte Gregori ora.
Sancte Ambrosi ora.
Sancte Augustine ora.
Sancte Hieronyme ora.
Sancte Martine ora.
Sancte Nicolae ora.
Omnes sancti Pontifices & Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Benedicte ora.
Sancte Antoni ora.
Sancte Bernarde ora.
Sancte Dominice ora.
Sancte Francisce ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, orate.
Omnes sancti Monachi, & Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena ora.

San-

Sancta Agatha ora.
Sancta Lucia ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Cæcilia ora.
Sancta Catharina ora.
Sancta Anastasia ora.
Omnes sanctæ virgines, & viduæ, orate.
Omnes sancti, & sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitanea, & improuisa morte, libera.
Ab insidijs diaboli, libera.
Ab ira, odio, & omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure, & tempestate, libera.
A morte perpetua, libera.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera.
Per aduentum tuum, libera.
Per natiuitatem tuam, libera.
Per Baptismum, & sanctum ieiunium tuum, libera.
Per crucem & passionem tuam, libera.
Per mortem, & sepulturam tuam, libera.
Per sanctam resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
Per aduentum Spiritus sancti paracliti, libera.
In die iudicij, libera.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas, te rog.
Vt nobis indulgeas, te rog.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rog.
Vt ecclesiam tuam sanctam regere,& conseruare digneris, te rog.
Vt Domnum Apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris, te rog.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rog.
Vt regibus, & principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, te rog.
Vt cuncto populo Christiano pacem,& vnitatẽ largiri digneris, te rog.
Tt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare, & conseruare digneris, te rog.
Vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rog.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rog.

V t animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rog.
V t fructus terræ dare, & conseruare digneris, te rog.
V t omnibus fidelibus defunctis requiē æternā donare digneris, te rog.
V t nos exaudire digneris, te rog.
F ili Dei, te rog.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
C hriste audi nos. C hriste exaudi nos. K yrie eleison. C hriste eleison.
K yrie eleison. P ater noster. Secr. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. Psalmus LXIX.

D Eus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.
C onfundantur,& reuereantur: qui quærunt animam meam.
A uertantur retrorsum,& erubescant: qui volunt mihi mala.
E xultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
E go verò egenus,& pauper sum: Deus adiuua me.
A diutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.
G loria Patri. ℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis.
℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice nostro N.
℟. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.
℣. Oremus pro benefactoribus nostris.
℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis.
℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Pro fratribus nostris absentibus.
℟. Saluos fac seruos tuos, Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat. O remus. Oratio pro peccatis.

D Eus cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

E xaudi

IGitur Sacerdos accersitus ad vngendum infirmum, omnibus vt suprà animaduersis, dicat ijs à quibus accersitur, vt (vbi commodè fieri potest) iuxta lectum infirmi parent paruam mensam, coopertam mappa candida, cum lance seu vase, in quo sit bambacium, seu stupa ad abstergendas vnctiones, & medulla panis ad abstergendos digitos, vas cum aqua ad abluendas manus ipsius Sacerdotis, cũ linteolo seu mantili, candela parua cerea, quæ deinde accensa ipsi vngenti lumen præbeat.

Moneat etiam, vt quoad fieri potest, lintea infirmi sint munda; &, si absque eius incommodo fieri potest, aqua tepida vel tela de ea madida lauentur eius manus & pedes, ad vnctionem suscipiendam.

Facto consueto signo campanæ, vocet alios presbyteros Ecclesiæ, si adsint, vt superpelliceis seu cottis induti adiuuent, atque acoluthos & clericos, vel saltem scholares Ecclesiæ, vt ministrent quoad fieri potest cottis induti; aut ijs deficientibus saltem Confratres alicuius piæ Confraternitatis seu Societatis saccis indutos. Vnus eorum deferat crucem sine hasta (quæ crux deinde relinquenda erit in cubiculo infirmi) duo accipiant duo candelabra cum candelis accensis, vel duas laternas cum luminibus, noctis præsertim tempore, & pluuiæ & ventorum. Alius deferat vas cum aqua benedicta & aspersorio, & is, vel alius librum Ritualem, seu Sacerdotalem.

Campanula autem seu tintinnabulum non defertur.

Ipse verò Curatus superpelliceo & stola violacei, vel, si desit, alterius coloris, prout potest, desuper indutus, genuflexus ad altare aliquantisper, si vacat, oret, ac deuotè dicat sequentem orationem.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & me indignum, qui primùm misericordia tua indigeo, clementer exaudi; & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti huius operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ virtutis est, operare. Per Christum Dominum nostrũ. ℟. Amen.

Tunc appendat sibi ad collum sacculum seu bursam sericam cum chordulis etiam sericeis, & accipit vas cum sacro oleo infirmorum, & illud aptè ponit intra dictum sacculum seu bursam; & sic sacculo inclusum & manibus comprehensum ferat ad infirmum.

Deinde omnes absque sonitu campanulæ seu tintinnabuli procedant, & festinent, dicendo Psalmum L. Miserere mei Deus. infrà pag. 330.

Cùm autem peruentum fuerit ad locum, vbi iacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit: Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde cruce & candelabris seu luminaribus depositis in parua mensa parata, ipse deponit de collo suo bursam, & ex ea depromit vasculum olei, illudq. in eadem mensa ponit, & stans ante ægrotum, illum humaniter

maniter & benignè salutet, & accipiens crucem, cum veneratione illam ei porrigat deosculandam.

Posteà, si vacat, ægroto cæterisq. præsentibus, huius Sacramenti vim, & vtilitates explicet, & antequàm illud ministret, eundem ægrotum paucis consoletur & hortetur bono esse animo, & potiùs gaudere debere, quòd à Deo in cœlestem patriam vocetur, quàm si in hac miserá vita diutiùs morandum esset; & denique eum à cogitatione præsentis vitæ remouere, & ad gaudium futuræ inducere studeat.

Dicat vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

INtroeat Domine Iesu Christe domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus dæmonum, adsint Angeli pacis, domumq. hanc deserat effugata discordia. Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum, & benedic ✠ nostræ conuersationi: sanctifica ✠ nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. ℟. Amen.

ORemus & deprecemur Dominum nostrum Iesum Christum, vt benedicendo benedicat ✠ hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum custodem, & faciat eos sibi seruire ad considerandum mirabilia de lege sua: auertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

EXaudi nos Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde in modum crucis aspergit infirmum aqua benedicta, posteà cubiculum, dicendo antiphonam. Asperges me Domine, cum primo versu Psalmi. Miserere mei Deus. cum Gloria Patri. & repetitur Antiphona. Asperges me Domine. vt suprà de Communione Infirmorum.

Deinde si ægrotus voluerit confiteri seu reconciliari, audiatur & absoluatur. Posteà faciat confessionem communem Latino vel vulgari sermone, secundùm personæ qualitatem, dicens: Confiteor Deo omnipotenti. vel alius pro eo.

Quo dicto, Sacerdos dicat.

DOminus noster Iesus Christus, qui dixit discipulis suis, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo: de quorũ numero quamuis indignos nos esse voluit, ipse te absoluat per ministerium nostrum

ab omnibus peccatis tuis quæcunque cogitatione, locutione, operatione, & negligenter egisti, & à peccatorum nexibus absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sęcula seculorum. ℟. Amen.

Deinde presbyteri astantes, seu alij clerici in cubiculo infirmi vel in alio proximo, vt poterunt dicant distinctè & moderatè, legendo septem Psalmos pœnitentiales cum Litanijs & Precibus sequentibus: vel si alij abfuerint, ipse Sacerdos incipiat, & tunc vel postea prosequatur.

Antiphona. Ne reminiscaris. Psalmus vj.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubescant valdè velociter.

Gloria Patri. Psalmus xxxj.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorũ tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me: exultatio mea erue me à circundantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus.
In camo & fræno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circundabit.
Lætamini in Domino, & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde.
Gloria Patri.

Pſalmus xxxvij.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.
Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.
Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.
Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.
Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.
Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.
Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.
Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.
Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.
Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt [illegible].
Amici mei, & proximi mei: adu[illegible]e appropinquauerunt, & ſteterunt.
Et qui iuxta me erant, de longè ſteterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.
Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.
Ego autem tanquàm ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.
Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.
Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies me Domine Deus meus.
Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.
Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.
Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.
Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.
Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.
Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ.
Gloria Patri.

Psalmus L.

MIserere mei Deus: secundùm magnam misericordiam tuam.
Et secundùm multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.
Ampliùs laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.
Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.
Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.
Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.
Ne proijcias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.
Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.
Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.
Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.
Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.
Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hierusalem.
Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.
Gloria Patri.

Psalmus CI.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.
Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.
In quacunque die inuocauero te: velociter exaudi me.
Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.
Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæsit os meum carni meæ.
S imilis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.
V igilaui: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.
T ota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduersùm me iurabant.
Q uia cinerem tanquàm panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.
A facie iræ indignationis tuæ; quia eleuans allisisti me.
D ies mei sicut vmbra declinauerunt: & ego sicut fœnum arui.
T u autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem, & generationem.
T u exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.
Q uoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.
E t timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.
Q uia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.
R espexit in orationem humilium: & non spreuit preces eorum.
S cribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.
Q uia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.
V t audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum.
V t annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hierusalem.
I n conueniendo populos in vnum: & reges vt seruiant Domino.
R espondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.
N e reuoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, & generationem anni tui.
I nitio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli.
I psi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.
E t sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.
F ilij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorũ in seculum dirigetur.
G loria patri.

Psalmus CXXIX.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meã.
F iant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.
S i iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?
Q uia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.
S ustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.
A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israel in Domino.
Q uia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria patri.

Psalmus CXLII.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speraui.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animã meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.

Gloria Patri &c. Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIAE.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,	miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus,	miserere nobis.
Spiritus sancte Deus,	miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus,	miserere nobis.
Sancta Maria	ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix	ora.
Sancta virgo virginum	ora.
Sancte Michael	ora.
Sancte Gabriel	ora.
Sancte Raphael	ora.
Omnes sancti Angeli, & Archangeli,	orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines,	orate.
Sancte Ioannes Baptista	ora.
Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ,	orate.

Sancte Petre	ora.
Sancte Paule	ora.
Sancte Andrea	ora.
Sancte Iacobe	ora.
Sancte Ioannes	ora.
Sancte Thoma	ora.
Sancte Iacobe	ora.
Sancte Philippe	ora.
Sancte Bartholomæe	ora.
Sancte Matthæe	ora.
Sancte Simon	ora.
Sancte Thadæe	ora.
Sancte Matthia	ora.
Sancte Barnaba	ora.
Sancte Luca	ora.
Sancte Marce	ora.
Omnes ſancti Apoſtoli, & Euangeliſtæ	orate.
Omnes ſancti diſcipuli Domini,	orate.
Omnes ſancti Innocentes,	orate.
Sancte Stephane	ora.
Sancte Laurenti	ora.
Sancte Vincenti	ora.
Sancti Fabiane, & Sebaſtiane,	orate.
Sancti Ioannes, & Paule,	orate.
Sancti Coſma, & Damiane,	orate.
Sancti Geruaſi, & Protaſi,	orate.
Omnes ſancti Martyres,	orate.
Sancte Syluester	ora.
Sancte Gregori	ora.
Sancte Ambroſi	ora.
Sancte Auguſtine	ora.
Sancte Hieronyme	ora.
Sancte Martine	ora.
Sancte Nicolae	ora.
Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores,	orate.
Omnes ſancti Doctores,	orate.
Sancte Benedicte	ora.
Sancte Antoni	ora.
Sancte Bernarde	ora.
Sancte Dominice	ora.
Sancte Franciſce	ora.
Omnes ſancti Sacerdotes & Leuitæ,	orate.
Omnes ſancti Monachi, & Eremitæ,	orate.
Sancta Maria Magdalena	ora.

San-

Sancta Agatha ora.
Sancta Lucia ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Cæcilia ora.
Sancta Catharina ora.
Sancta Anastasia ora.
Omnes sanctæ virgines, & viduæ, orate.
Omnes sancti, & sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitanea, & improuisa morte, libera.
Ab insidijs diaboli, libera.
Ab ira, odio, & omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure, & tempestate, libera.
A morte perpetua, libera.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera.
Per aduentum tuum, libera.
Per natiuitatem tuam, libera.
Per Baptismum, & sanctum ieiunium tuum, libera.
Per crucem & passionem tuam, libera.
Per mortem, & sepulturam tuam, libera.
Per sanctam resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
Per aduentum Spiritus sancti paracliti, libera.
In die iudicij, libera.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas, te rog.
Vt nobis indulgeas, te rog.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rog.
Vt ecclesiam tuam sanctam regere, & conseruare digneris, te rog.
Vt Domnum Apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris, te rog.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rog.
Vt regibus, & principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, te rog.
Vt cuncto populo Christiano pacem, & vnitatē largiri digneris, te rog.
Tt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare, & conseruare digneris, te rog.
Vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rog.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rog.

Vt

V t animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rog.
V t fructus terræ dare, & conseruare digneris, te rog.
V t omnibus fidelibus defunctis requiē æternā donare digneris, te rog.
V t nos exaudire digneris, te rog.
F ili Dei, te rog.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
C hriste audi nos. C hriste exaudi nos. K yrie eleison. C hriste eleison.
K yrie eleison. P ater noster. Secr. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. Psalmus LXIX.

D Eus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.
C onfundantur,& reuereantur: qui quærunt animam meam.
A uertantur retrorsum,& erubescant: qui volunt mihi mala.
E xultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
E go verò egenus,& pauper sum: Deus adiuua me.
A diutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.
G loria Patri. ℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis.
℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice nostro N.
℟. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.
℣. Oremus pro benefactoribus nostris.
℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis.
℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Pro fratribus nostris absentibus.
℟. Saluos fac seruos tuos, Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat. O remus. Oratio pro peccatis.

D Eus cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

E xaudi

EXaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende: vt simul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

Pro Pontifice.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. & dirige eum secundùm tuam clementiam in viam salutis æternæ, vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

Pro pace.

DEus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Pro tuenda castitate.

VRe igne sancti Spiritus renes nostros & cor nostrum Domine: vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

Pro fidelibus defunctis.

FIdelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumq. tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur.

Pro nostris actionibus.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Pro viuis & defunctis.

OMnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris, simul & mortuorum, omniumq. misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis, te supplices exoramus: vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel præsens seculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. ℟. Amen.
℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei, requiescant in pace.
℟. Amen.

Qui

Qui præſentes ſunt, omnes Deo pro infirmo preces fundant,& ad eas habendas, à Sacerdote piè inducantur.

Interim dum Pſalmi recitantur, vel cùm recitati fuerint ſecundùm temporis opportunitatem, Sacerdos intincto pollice in ſancto Oleo infirmorum, dicat abſolutè.

IN nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠ extinguatur in te omnis virtus diaboli per impoſitionem manuum noſtrarum, imò per inuocationem omnium ſanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum. ℟. Amen.

Quo dicto, faciat ſignum Crucis de Oleo prædicto in corpore ægri in ſeptem locis ſubſcriptis, ad vnamquamque Crucem, & in quolibet loco propriam orationem dicendo.

Ad oculos.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid oculorum vitio deliquiſti. ℟. Amen.

Miniſter verò qui ſit in ſacris, vel ipſemet Presbyter tergat locum inunctum bambacio vel ſtupa: quod faciat poſt quamlibet Vnctionem; & bambacium ſeu ſtupa ponatur in vaſe mundo, quod deferatur ad Eccleſiam, vbi comburitur, & cineres proijciuntur in ſacrarium.

Ad aures.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid aurium vitio deliquiſti. ℟. Amen.

Ad nares.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid narium vitio deliquiſti. ℟. Amen.

Ad labia, ſiue ad os.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimã miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid linguæ vel oris vitio deliquiſti. ℟. Amen.

Ad manus.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid tactus vitio deliquiſti. ℟. Amen.

Et aduerte quòd Sacerdotibus manus non inunguntur interiùs, ſed exteriùs.

Ad pedes.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid inceſſus vitio deliquiſti. ℟. Amen.

Ad lumbos, ſiue ad renes.

Per iſtam ſanctam Vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid lumborum ſeu carnis vitio deliquiſti. ℟. Amen.

Hæc autem vnctio ad lumbos omittitur in muliere infirma, vt dictum eſt.

Peractis Vnctionibus, & locis inunctis abſterſis, & Pſalmis cum Litanijs & precibus perlectis, Sacerdos dicit:

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noster. Et ne nos inducas.

℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Deus, qui per Apostolum tuū locutus es: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei: cura quæsumus redemptor noster gratia sancti Spiritus languores istius infirmi, eiusq. sana vulnera, & dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis & corporis ab eo expelle; plenamq. ei interius exteriusq. sanitatem misericorditer redde; vt ope misericordiæ tuæ restitutus ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas in secula seculorum. ℟. Amen. Oremus. Oratio.

REspice quæsumus Domine famulum tuum N. in infirmitate sui corporis fatiscentem, & animam refoue quam creasti; vt castigationibus emendatus, se tua sentiat medicina saluatum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus. Oratio.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad inuocationem tui nominis benignus assiste, vt famulum tuum N. ab ægritudine liberatum & sanitati donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ, sanctisq. altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio, seu benedictio.

DOminus Iesus Christus apud te sit, ✠ vt te defendat; intra te sit, ✠ vt te reficiat; circa te sit, ✠ vt te conseruet; ante te sit, ✠ vt te deducat; post te sit, ✠ vt te custodiat; super te sit, ✠ vt te benedicat. Qui in Trinitate perfecta viuit & regnat in secula seculorū. ℟. Amen.

Alia benedictio, si per tempus licet. Oremus.

BEnedicat te Deus Pater, sanctificet te Deus Filius, illuminet te Deus Spiritus sanctus, corpus tuum custodiat, animam tuam saluet, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat, gratiam suam ad profectū animæ tuæ in te augeat, dextera sua te defendat; qui sanctos suos semper adiuuat, ipse te adiuuare & consolari dignetur. Qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus in secula seculorum. ℟. Amen.

Alia benedictio. Oremus.

BEnedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creauit; benedicat te Deus Filius, qui de supernis sedibus pro nobis Saluator descendit; benedicat

nedicat te Deus Spiritus sanctus qui in similitudine columbæ in flumine Iordanis requieuit in Christo; ipseq. te in Trinitate sanctificet, quem omnes gentes venturum expectant ad iudicium. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum. ℟. Amen.

Quibus peractis faciat ei, si videbitur, pro qualitate personæ, & si sensum auditus non amisit, ardentibus seu efficacibus verbis aliquas monitiones, vt speret & confidat in Domino, hoc præsertim Sacramento munitus, non cedat nec consentiat tentationibus inimici, sed semper habeat memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi, quam pertulit in corpore suo pro peccatis nostris. Et ad auertendas & fugandas diaboli insidias sæpiùs se signet signo Crucis, & ex corde inuocet dulcissimum nomen IESV nostri Saluatoris, in quo solo nos oportet saluos fieri, excitando eum ad desiderium vitæ æternæ, & ad spem de diuina misericordia retinendam.

Tum relinquat crucē, vt maneat coràm infirmo, qui in eam aspiciat, cuiq. sui administri & domestici præbeant sæpè complectendā & osculandā.

Illos etiam admoneat, vt si morbus ingrauescat ad mortem, vel infirmus incipiat agonizare, ipsi significent, vel statim accersant ad eius animam Domino commendandam.

Et demum, vt venerat, reuertitur ad Ecclesiam.

Benedictio Cineris & cilicij pro moriente vel mortuo.

Benedictio cineris & cilicij cùm aliquis religiosus vel clericus moriens, ex instituto seu consuetudine illa suscipere debet: vel aliquis vir pius decedens, ex pœnitentia aut deuotione suscipere optat, aut postulat, vt sibi morienti vel mortuo imponantur.

Benedictio cinerum, qui in aliquo vase habeantur.

Sacerdos superpelliceo & stola indutus, dicit.

℣. Adiutorium nostrū in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlū & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benignissimè respice, & hos cineres, quos causa præferendæ humilitatis, atque promerēdæ veniæ suscepturus est famulus tuus, benedicere ✠ pro tua pietate digneris; vt qui se cinerem esse ob prauitatis suæ meritum, & in puluerem reuersurum se cognoscit, peccatorum omnium veniam, & præmia pœnitentibus repromissa à te misericorditer consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus cineris.

EXorcizo te cinis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in nomine Iesu Christi ✠ filij eius, & Spiritus sancti, ✠ qui te per ignem in fauillam conuerti præcepit, vt sicut iussione Dei per sanctum famulum suum Moysen cinis vitulæ in populo aspersus, omnem congregationem Israel sanctificauit; ita & tu exorcizatus in nomine sanctæ Trinitatis, & in terra & cilicio aspersus, efficias vt in famulo Dei non lateat diabolus, sed manifestetur atque expellatur, vt purus & sincerus inueniatur. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Benedictio Cilicij.

BEnedic ✠ Domine hoc cilicium, quod famulus tuus pro humilitate & pœnitudinis suæ deuotione indui appetit, vt sicut Niniuitarum populo in cinere & cilicio pœnitenti pepercisti: ita famulus tuus humiliationis & professionis suæ hoc indutus vestimento, à te creatore suo omnium percipiat incrementa virtutum, & cunctorum indulgentiam consequatur delictorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc aspergat cinerem & cilicium aqua benedicta. Deinde extendatur cilicium in terra, & Sacerdos faciat crucem super illud de cinere benedicto, & aspergat aqua benedicta: tum plicet illud & ostendat ipsi infirmo cognoscendum & præbeat osculandum.

Deinde aspergat cineres super infirmum, & tunc faciat crucem de cinere cum aqua benedicta mista cineri super pectus eius & dicat.

Recordare quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

Et rursus Sacerdos dicit ad illum.

Placent tibi cinis & cilicium ad testimonium pœnitentiæ tuæ ante Deum in die iudicij? ℟. Placent.

Et tunc Sacerdos superponens ei cilicium, dicit.

Cilicium confessionis & pœnitentiæ indumentum tibi imponimus, vt per confessionẽ & pœnitentiam, omnium peccatorum sordibus emundari merearis: quatenus vestimentis indutus exultationis atque lætitiæ, in palatium Regis æterni securus & gaudens valeas introire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Posteà Sacerdos subdit.

Apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio: Ita enim lapsis hominibus subuenit; vt non solùm per Baptismi & Confirmationis gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ & Vnctionis medicinam spiritus humanus vitæ reparetur æternæ. Infirmus, vel alius pro eo respondet: Deo gratias.

Si autem infirmus iam mortuus fuerit, similiter eum cineribus aspergat, cilicio induat, vel illud super eum, vel sub eo ponat.

ORDO COMMENDATIONIS animæ.



Eracta vnctione, fiat commendatio animæ, si infirmus est adeò grauatus, vt de eius vita dubitetur: si verò non dubitatur, quòd citò moriatur; expectetur aliquantulum, & posteà ita fiat.

Primùm dicuntur Litaniæ breues in hunc modum.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Sancta Maria — ora pro eo.

Et si est fœmina, dicatur, pro ea.

Sancte Michael Archangele — ora.
Omnes sancti Angeli & Archangeli — orate.
Sancte Abel — ora.
Omnis chorus iustorum — orate.
Sancte Abraham — ora.
Sancte Ioannes Baptista — ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ — orate.
Sancte Petre — ora.
Sancte Petre — ora.
Sancte Paule — ora.
Sancte Paule — ora.
Sancte Andrea — ora.
Sancte Ioannes — ora.
Omne sancti Apostoli & Euangelistæ. — orate.
Omnes sancti Discipuli Domini — orate.
Omnes sancti Innocentes — orate.
Sancte Stephane — ora.
Sancte Laurenti — ora.
Omnes sancti Martyres — orate.
Sancte Siluester — ora.
Sancte Gregori — ora.
Sancte Augustine — ora.
Omnes sancti Pontifices & Confessores — orate.
Omnes sancti Doctores — orate.
Sancte Antoni — ora.
Sancte Benedicte — ora.
Sancte Dominice — ora.
Sancte Francisce — ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ — orate.

Omnes sancti Monachi & Eremitæ orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena ora.
Sancta Lucia ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Cæcilia ora.
Omnes sanctæ virgines & viduæ, orate.
Omnes sancti & sanctæ Dei, intercedite pro eo.
Propitius esto, parce ei Domine.
Propitius esto, libera eum Domine.
Ab ira tua libera.
A mala morte libera.
A periculo mortis libera.
A pœnis inferni libera.
A potestate diaboli libera.
Ab omni malo libera.
Per Natiuitatem tuam libera.
Per crucem & passionem tuam libera.
Per mortem & sepulturam tuam libera.
Per gloriosam resurrectionem tuam libera.
Per admirabilem ascensionem tuam libera.
Per gratiam Spiritus sancti paracliti libera.
In die iudicij libera.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Vt ei parcas te rogamus exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Deinde cùm in agone sui exitus anima visa fuerit anxiari, dicantur sequentes orationes.

Oratio.

PRoficiscere anima Christiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creauit; in nomine Iesu Christi filij Dei viui, qui pro te passus est: in nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est: in nomine Angelorum & Archangelorum: in nomine Thronorum & Dominationum: in nomine Principatuum & Potestatum: in nomine Cherubim & Seraphim: in nomine Patriarcharum & Prophetarum: in nomine sanctorum Apostolorum & Euangelistarum: in nomine sanctorum Martyrum & Confessorum: in nomine sanctorum Sacerdotum & Leuitarum: in nomine sanctorum Monachorum & Eremitarum: in nomine sanctarum Virginum & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei: hodie sit in pace locus tuus, & habitatio tua in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus misericors, Deus clemens, Deus qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles; & præterito-

rum criminum culpas venia remiſſionis euacuas: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. & remiſſionem omnium peccatorũ ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem, deprecatus exaudi. Renoua in eo pijſſime pater quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatum eſt; & vnitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte. Miſerere Domine gemituum, miſerere lacrymarum eius, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

COmmendo te omnipotenti Deo, chariſſime frater, vel chariſſima ſoror, & ei cuius es creatura committo, vt cùm humanitatis debitum morte interueniente perſolueris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore ſplendidus Angelorum cœtus occurrat: iudex Apoſtolorum tibi Senatus aduenjat: candidatorum tibi Martyrũ triumphator exercitus obuiet: liliata rutilantium te Confeſſorum turma circundet: iubilantium te Virginum chorus excipiat, & beatæ quietis in ſinu Patriarcharum te complexus adſtringat: mitis atque feſtiuus Chriſti Ieſu tibi aſpectus appareat, qui te inter aſſiſtentes ſibi iugiter intereſſe decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod ſtridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum ſatellitibus ſuis, in aduentu tuo te comitantibus Angelis contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei, & iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei. Confundantur igitur & erubeſcant omnes Tartareæ legiones, & miniſtri Satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te à cruciatu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Liberet te ab æterna morte Chriſtus, qui pro te mori dignatus eſt. Conſtituat te Chriſtus Filius Dei viui intra paradiſi ſui ſemper amœna virentia, & inter oues ſuas te verus ille paſtor agnoſcat. Ille ab omnibus peccatis tuis te abſoluat, atque ad dexteram ſuam in electorum ſuorum te ſorte conſtituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper aſſiſtens, manifeſtiſſimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis diuinæ dulcedine potiaris in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

SVſcipe Domine ſeruum tuum vel ancillam tuam in locum ſperandæ ſibi ſaluationis à miſericordia tua. ℟. Amen.

LIbera Domine animam ſerui tui, vel ancillæ tuæ, ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Enoch & Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Noe de diluuio. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Abraham de Vr Chaldæorum. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Iob de passionibus suis. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Isaac de hostia, & de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Lot de Sodomis & de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis Regis Aegyptiorum. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti tres pueros, Sidrach, Misach, & Abdenago de camino ignis ardentis, & de manu Regis iniqui. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Dauid de manu Regis Saul, & de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Petrum & Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam virginem & martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti; sic liberare digneris animam serui tui huius, & tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

COmmendamus tibi Domine animam famuli tui N. precamurq. te Domine Iesu Christe Saluator mundi; vt propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non à dijs alienis creatam; sed à te solo Deo viuo & vero; quia non est alius Deus præter te, & non est secundùm opera tua. Lætifica Domine animam eius in conspectu tuo; & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & ebrietatum quas suscitauit furor siue feruor mali desiderij: licet enim peccauerit: tamen Patrem & Filium & Spiritum sanctum non negauit, sed credidit, & zelum Dei in se habuit, & Deum qui fecit omnia fideliter adorauit.

Oremus. Oratio.

DElicta iuuentutis & ignorantias eius quæsumus ne memineris Domine; sed secundùm magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli: collætentur illi Angeli: in regnum tuum Domine seruum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus

ctus Michael Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Veniant illi obuiam sancti Angeli Dei, & perducant eum in Ciuitatem cœlestem Hierusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apostolus, cui à Deo claues regni cœlestis traditæ sunt. Adiuuet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Ioannes, electus Dei Apostolus, cui reuelata sunt secreta cœlestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi atque soluendi. Intercedant pro eo omnes sancti & electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc seculo sustinuerũt, vt vinculis carnis exutus peruenire mereatur ad gloriam regni cœlestis: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi sequentes, cum deuotione & clara voce, vt moriens saltem aliqua intelligere valeat, videlicet.

Psalmus CXVII.

CONfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc Israel quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in seculum misericordia eius.

Dicant nunc omnes qui timent Dominum: quoniam in seculum misericordia eius.

De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

Omnes gẽtes circuierũt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

Circundantes circundederunt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini quia vltus sum in eos:

Impulsus euersus sum vt caderem: & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum.

Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini.

Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

Lapidem, quẽ reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.
H æc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.
O Domine saluum me fac, ò Domine benè prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.
B enediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus,& illuxit nobis.
C onstituite diem solemnem in condensis, vsque ad cornu altaris.
D eus meus es tu,& confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.
C onfitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.
C onfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.
G loria Patri.

Psalmus CXVIII.

B Eati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
B eati,qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.
N on enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.
T u mandasti mandata tua custodiri nimis.
V tinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas.
T unc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.
C onfitebor tibi in directione cordis:in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ.
I ustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaque.

R etribue seruo tuo,viuifica me: & custodiam sermones tuos.
R euela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.
I ncola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.
C oncupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas,in omni tempore.
I ncrepasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.
A ufer à me opprobrium,& contemptum: quia testimonia tua exquisiui.
E tenim sederunt principes,& aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exerçebatur in iustificationibus tuis.
N am & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum iustificationes tuæ.

L egem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum: & exquiram eam semper.
D a mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.
D educ me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.
I nclina cor meum in testimonia tua: & non in auaritiam.
A uerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.
S tatue seruo tuo eloquium tuum, in timore tuo.
A mputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.
E cce concupiui mandata tua: in æquitate tua viuifica me.

M emor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.
Superbi iniquè agebant vsquequaque: à lege autem tua non declinaui.
Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine: & consolatus sum.
Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.
Memor fui nocte nominis tui Domine: & custodiui legem tuam.
Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.

Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundum verbum tuum.
Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.
Priusquàm humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuũ custodiui.
Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.
Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.
Coagulatum est sicut lac cor eorũ: ego verò legem tuam meditatus sum.
Bonum mihi quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas.
Bonum mihi lex oris tui, super millia auri, & argenti.

Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperaui.
Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quando consolaberis me?
Quia factus sum sicut vter in pruina: iustificationes tuas nõ sum oblitus.
Quot sunt dies serui tui: quando facies de persequentibus me iudicium?
Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua.
Omnia mandata tua veritas: iniquè persecuti sunt me, adiuua me.
Paulominus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.
Secundùm misericordiam tuam viuifica me: & custodiam testimonia oris tui.

Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est.
Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est.
Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.
Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui.
Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua.
A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi.
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.
A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.

Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi.

Adiu-

Adiutor, & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperaui.
Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.
Suscipe me secundùm eloquium tuum, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.
Adiuua me, & saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis semper.
Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis: quia iniusta cogitatio eorum.
Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.
Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.

Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.
Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.
Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.
Aspice in me, & miserere mei, secundùm iudicium diligentium nomen tuum.
Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia.
Redime me à calumnijs hominum: vt custodiam mandata tua.
Faciem tuam illumina super seruum tuum: & doce me iustificationes tuas.
Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia nõ custodierunt legẽ tuam.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine: iustificationes tuas requiram.
Clamaui ad te, saluum me fac: vt custodiam mandata tua.
Preueni in maturitate, & clamaui: quia in verba tua supersperaui.
Præuenerunt oculi mei ad te diluculò: vt meditarer eloquia tua.
Vocem meam audi secundùm misericordiam tuam Domine: & secundùm iudicium tuum viuifica me.
Appropinquauerunt persequentes me iniquitati: à lege autem tua longè facti sunt.
Prope es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas.
Initiò cognoui de testimonijs tuis: quia in æternum fundasti ea.

Principes persecuti sunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meum.
Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa.
Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.
Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.
Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.
Expectabam salutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.
Custodiuit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.
Seruaui mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.
Gloria Patri, &c.

Et si

Et si tempus adhuc superest, dicantur etiam Psalmi Graduales.

Psalmus cxix.

AD Dominum cùm tribularer clamaui: & exaudiuit me.
Domine libera animam meam à labijs iniquis,& à lingua dolosa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?
Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.
Cùm his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis,impugnabant me gratis.
Gloria Patri.

Psalmus cxx.

LEuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.
Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.
Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.
Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.
Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.
Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.
Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.
Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & vsque in seculum.
Gloria Patri.

Psalmus cxxi.

LAetatus sum in his,quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.
Stantes erant pedes nostri, in atrijs tuis Hierusalem.
Hierusalē, quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.
Illuc enim ascenderunt tribus,tribus Domini:testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.
Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.
Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem: & abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te.
Propter domum Domini Dei nostri, quæsiui bona tibi.
Gloria Patri.

Psalmus cxxii.

AD te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.
Ecce sicut oculi seruorum, in manibus dominorum suorum.
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.
Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multùm repleti sumus despectione.
Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.
Gloria Patri.

Psalmus CXXIII.

NIsi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quia Dominus erat in nobis.
Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos.
Cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.
Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.
Benedictus Dominus qui non dedit nos, in captionem dentibus eorum.
Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.
Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.
Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.
Gloria Patri.

Psalmus CXXIIII.

QVi confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.
Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in seculum.
Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.
Benefac Domine bonis, & rectis corde.
Declinantes in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.
Gloria Patri.

Psalmus CXXV.

IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati.
Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.
Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis.
Magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.
Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro.
Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.
Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.
Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.
Gloria Patri.

Psalmus CXXVI.

NIsi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.
Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.
Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquàm sederitis, qui manducatis panem doloris.
Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini filij: merces, fructus ventris.
Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.
Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.
Gloria Patri.

Pſalmus cxxvii.

BEati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.
Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.
Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.
Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ.
Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael.
Gloria Patri.

Pſalmus cxxviii.

SAepè expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael.
Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.
Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam.
Dominus iuſtus concidit ceruices peccatorum: confundantur, & conuertantur retrorſum omnes, qui oderunt Sion.
Fiant ſicut fœnum tectorum: quod priuſquam euellatur, exaruit.
De quo non impleuit manum ſuam qui metit, & ſinum ſuum qui manipulos colligit.
Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine Domini.
Gloria Patri.

Pſalmus cxxix.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meã.
Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obſeruaueris Domine: Domine quis ſuſtinebit?
Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.
Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.
A cuſtodia matutina vſque ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.
Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.
Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius.
Gloria Patri.

Pſalmus cxxx.

DOmine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei.
Neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus ſuper me.
Si non humiliter ſentiebam: ſed exaltaui animam meam.
Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua: ita retributio in anima mea.
Speret Iſrael in Domino, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.
Gloria Patri.

Pſalmus cxxxi.

MEmento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.
Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob.
Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei.
Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.
Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis syluæ.
Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.
Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.
Sacerdotes tui induantur iustitiam: & sancti tui exultent.
Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.
Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.
Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos.
Et filij eorum vsque in seculum, sedebunt super sedem tuam.
Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.
Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo quoniam elegi eam.
Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus.
Sacerdotes eius induam salutari: & sancti eius exultatione exultabunt.
Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo.
Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.
Gloria Patri.

Psalmus CXXXII.

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.
Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.
Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.
Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum.
Gloria Patri.

Psalmus CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes serui Domini.
Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.
In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.
Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.
Gloria Patri.

His deuotè & cum magno animi affectu pronuntiatis, poterit ante vel post, vt expedire visum fuerit, dici seu legi, vel etiam sæpiùs repeti Symbolum Apostolorum, scilicet **Credo in Deum Patrem**, aut Symbolum Nicæni & Constantinopolitani Conciliorum, quo vtimur in Missa: & habetur suprà in forma professionis fidei Catholicæ pag. 319.

Item & Symbolum S. Athanasij.

Qvicunque vult saluus esse: ante omnia opus est, vt teneat catholicam fidem.
Quam nisi quisque integram inuiolatamq. seruauerit: absque dubio in æternum peribit.

Fides

Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.

Neque confundentes perſonas: neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti.

Sed Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna eſt diuinitas: æqualis gloria, coæterna maieſtas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.

Aeternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres æterni, ſed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immenſi: ſed vnus increatus, & vnus immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dij: ſed vnus eſt Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini: ſed vnus eſt Dominus.

Quia ſicut ſingillatim vnamquamque perſonam Deum, ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus: ſed genitus.

Spiritus ſanctus à Patre, & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Vnus ergo Pater, non tres Patres: vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate, nihil prius, aut poſterius: nihil maius aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.

Ita vt per omnia, ſicut iam ſupra dictum eſt, & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſaluus eſſe: ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Aequalis Patri ſecundùm diuinitatem: minor Patre ſecundùm humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus.

Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum.

Vnus omninò non confusione substantiæ: sed vnitate personæ.

Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum.

Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterq. crediderit: saluus esse non poterit.

Prætereà, si opportunitas dabitur, poterunt de passione Domini legi quæ sequuntur.

Sermo Domini in Cœna.

Ioan. 13.



Nte diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: Et cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrū. Et dicit ei Petrus: Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem posteà. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi, vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes. Postquàm ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cùm recubuisset iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis: Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodùm ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis: non est seruus maior Domino suo: neque Apostolus maior eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: ego scio

quos

quos elegerim:Sed vt impleatur Scriptura:Qui mãducat mecũ panem,
leuabit contra me calcaneum ſuũ. Amodò dico vobis priuſquàm fiat:
vt cùm factum fuerit,credatis,quia ego ſum. Amen amen dico vobis:
qui accipit, ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit
eum,qui me miſit. Cùm hæc dixiſſet Ieſus,turbatus eſt ſpiritu: & pro-
teſtatus eſt,& dixit. Amen amen dico vobis: quia vnus ex vobis tradet
me. Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli,hæſitantes,de quo diceret.
Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem dilige-
bat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis eſt de quo
dicit? Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dixit ei: Domine
quis eſt? Reſpondit Ieſus: Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero.
Et cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ. Et poſt buc-
cellam introiuit in eum Satanas,Et dixit ei Ieſus: Quod facis fac citiùs.
Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium,ad quid dixerit ei. Quidam
enim putabant,quia loculos habebat Iudas,quod dixiſſet ei Ieſus:Eme
ea,quæ opus ſunt nobis ad diem Feſtum, aut egenis vt aliquid daret?
Cùm ergo accepiſſet ille buccellam,exiuit continuò. Erat autem nox.
Cùm ergo exiſſet, dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis: &
Deus clarificatus eſt in eo. Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus cla-
rificabit eum in ſemetipſo: & continuò clarificabit eum. Filioli adhuc
modicum vobiſcum ſum. Quæretis me, & ſicut dixi Iudæis: quò ego
vado, vos non poteſtis venire; & vobis dico modò. Mandatũ nouum
do vobis: Vt diligatis inuicem,ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inui-
cem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem
habueritis adinuicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine quò vadis? Re-
ſpondit Ieſus: Quò ego vado, non potes me modò ſequi: ſequeris au-
tem poſteà. Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te ſequi modò? animã
meam pro te ponam. Reſpondit ei Ieſus: Animam tuam pro me po-
nes? Amen amen dico tibi:non cantabit hodie gallus,donec ter me ne-
ges. Et ait diſcipulis ſuis. Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, *Cap. 14.*
& in me credite.In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si quo mi-
nùs dixiſſem vobis:Quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præ-
parauero vobis locum: iterum venio,& accipiam vos ad me ipſum, vt
vbi ſum ego,& vos ſitis. Et quò ego vado ſcitis,& viam ſcitis. Dicit ei
Thomas: Domine neſcimus quò vadis: & quomodò poſſumus viam
ſcire? Dicit ei Ieſus: Ego ſum via,& veritas,& vita. Nemo venit ad Pa-
trem niſi per me. Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cogno-
uiſſetis:& amodò cognoſcetis eum,& vidiſtis eum. Dicit ei Philippus:
Domine oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis. Dicit ei Ieſus: Tanto
tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt
me,vidit & Patrem. Quomodò tu dicis: Oſtende nobis Patrem? Non
creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor
vobis, à me ipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit
opera. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin

propter opera ipsa credite. Amen amen dico vobis: qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos: adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem, quem audistis, non est meus: sed eius, qui misit me Patris. Hæc loquutus sum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis: non quomodò mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et nũc dixi vobis priusquàm fiat: vt cùm factum fuerit credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite eamus hinc.

Cap. 15. Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum purgabit eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me, & ego in vobis: sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit: mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præ-

cepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta Patris mei seruaui,& maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum vobis: vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum,vt diligatis inuicem,sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos,& posui vos,vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: Vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo det vobis. Hæc mando vobis,vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat: diligeret: Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei,quem ego dixi vobis: Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt,& vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt,& vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis,quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem & viderunt,& oderunt,& me & Patrem meum. Sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis: Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis,qui à Patre procedit,ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis,quia ab initio mecum estis. Hæc lo- Cap. 16.
cutus sum vobis,vt non scandalizemini: Absque synagogis facient vos: sed venit hora,vt omnis,qui interficit vos,arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis:quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis:vt cùm venerit hora,eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi,quia vobiscum eram: & nunc vado ad eum, qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me: Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam: Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autē abiero,mittam eum ad vos: Et cùm venerit ille,arguet mundum de peccato,& de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem,quia non crediderunt in me: De iustitia verò,quia ad Patrem vado,& iam non videbitis me: De iudicio autem,quia Princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt,annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo

accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet,& annunciabit vobis. Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit modicum, nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi modicum,& non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. Amen amen dico vobis,quia plorabitis,& flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum,iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et in illo die,me non rogabitis quicquam. Amen amen dico vobis; si quid petieritis Patrem in nomine meo,dabit vobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo:Petite & accipietis,vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palàm de Patre annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis,quia ego rogabo Patrem de vobis: Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis,quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus,quia scis omnia,& non opus est tibi, vt quis te interroget: In hoc credimus,quia à Deo existi. Respondit eis Iesus: Modò creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: Et non sum solus, quia Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo
Cap. 17. pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. Hæc locutus est Iesus: & subleuatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,vt omne quod dedisti ei,det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna: vt cognoscant te solum Deum verum,& quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui,quod dedisti mihi,vt faciam:Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quàm habui priùs quàm mundus esset apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dedisti mihi,abs te sunt: Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis; & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo:
Non

Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt, & mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis: Et iam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt,& ego ad te venio. Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos. Cùm eſſem cum eis ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi ego cuſtodiui: & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis,vt ſcriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues à malo. De mundo non ſunt,ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego ſanctifico me ipſum: vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus, quia tu me miſiſti. Et ego claritatem, quam dediſti mihi dedi eis: vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis,& tu in me: vt ſint conſummati in vnum, & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti,& dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater quos dediſti mihi, volo,vt vbi ſum ego,& illi ſint mecum, vt videant claritatem meam,quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Pater iuſtè mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt,quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum,& notum faciam: vt dilectio, qua dilexiſti me,in ipſis ſit, & ego in ipſis.

Paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm Ioannem.

IN illo tempore:Egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius:Sciebat autem & Iudas,qui tradebat eum, locum: quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Iudas ergo cùm accepiſſet cohortem,& à Pontificibus,& Phariſæis miniſtros,venit illuc cũ laternis & facibus & armis. Ieſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus:Ego ſum. Stabat autem & Iudas,qui tradebat eum cum ipſis. Vt ergo dixit eis. Ego ſum: abierunt retrorſum,& ceciderunt in terrã. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis,quia ego ſum: Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. Vt impleretur ſermo, quem dixit: Cap. 18

Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscîdit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum? Cohors ergo, & Tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primùm. Erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis: Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus: Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dixit ille: non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis: Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscîdit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit. Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem manè: & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit. Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: Quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: Nunc autem Regnum

meum

meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis,quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum,& ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis,vt vnum dimittam vobis in Pascha: Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Clamauerunt rursum omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Cap. 19. Et milites plectentes coronam de spinis,imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circundederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum: & dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foras,& dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras,vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. (Exiuit ergo Iesus foras portans coronam spineam, & purpureum vestimentum:) Et dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices,& ministri,clamabant dicentes: Crucifige,crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: Ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori,quia filium Dei se fecit. Cùm ergo audiuisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum: Et dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te,& potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersus me vllam: nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi ergo clamabant, dicentes: Si hunc dimittis,non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se Regem facit,contradicit Cæsari. Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum: & sedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithóstrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle,tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus. Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum,& duxerunt,& baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgotha: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super Crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ, Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia propè Ciuitatem erat locus,vbi crucifixus est Iesus: Et erat scriptum Hebraicè,Græcè,& Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum. sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cùm crucifixissent eum, acce-

perunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes: vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit. Vt scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius, & soror Matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Posteà sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Iudæi ergo (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit; vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit. Videbunt in quem transfixerunt.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia (eo quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm ferens mixturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

Et si adhuc decumbens viuit, & adsit commoditas, presbyter vel alius clericus poterit legere passionem Domini secundùm alios tres Euangelistas, Matthæum, Marcum, & Lucam: vel etiam repetere, si opus est, vt infrà.

Paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm Matthæum.



N illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur. Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum,& Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & conſilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo. Cùm autem Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim iſtud venundari multo,& dari pauperibus. Sciens autem Ieſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me: nam ſemper pauperes habetis vobiſcum; me autem non ſemper habetis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum: ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo dicetur, & quòd hæc fecit in memoriam eius. Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes ad Principes Sacerdotum: & ait illis: Quid vultis mihi dare,& ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet. Prima autem die Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum,dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? At Ieſus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meum propè eſt,apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus, & parauerunt Paſcha. Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus veſtrum me traditurus eſt. Et contriſtati valdè,cœperunt ſinguli dicere: Nunquid ego ſum Domine? At ipſe reſpondens ait: Qui intingit mecum manum in paropſide,hic me tradet. Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo: væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei,ſi natus non fuiſſet homo ille. Reſpondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego ſum Rabbi? Ait illi. Tu dixiſti. Cœnantibus autem eis; accepit Ieſus panem & benedixit, ac fregit, deditq. diſcipulis ſuis & ait: accipite,& comedite: hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti,qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in Regno Patris mei. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Ieſus: Omnes vos

ſcan-

Cap. 26.

ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Poſtquàm autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus, ait illi. Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquàm ſcandalizabor: Ait illi Ieſus: amen dico tibi, quia in hac nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt. Tunc venit Ieſus cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani, & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic donec vadam illuc, & orem: Et aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hic, & vigilate mecum. Et progreſſus puſillùm procidit in faciem ſuam, orans & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuiſti vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Iterum ſecundò abijt, & orauit dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum abijt & orauit tertiò eundem ſermonem dicens. Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite iam, & requieſcite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus: ecce appropinquauit, qui me tradet. Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fuſtibus, miſſi à Principibus Sacerdotũ, & ſenioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Et confeſtim accedens ad Ieſum, dixit: Aue Rabbi. Et oſculatus eſt eum. Dixitq́. illi Ieſus: Amice ad quid veniſti? Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex his, qui erant cum Ieſu, extendens manum exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Ieſus: Conuerte gladium tuum in locum ſuum. omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri? In illa hora dixit Ieſus turbis: Tanquàm ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus comprehendere me: quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis. Hoc autem totum factum eſt, vt adimplerentur ſcripturæ Prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt. At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, vbi Scribæ & Seniores conuenerant. Petrus autem ſequebatur eum à longè vſque in atrium Principis Sacerdotum. Et ingreſſus intrò ſedebat cum miniſtris, vt videret finem. Principes autem Sacer-

dotum,

dotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent. Et non inuenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Et surgens Princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersùm te testificantur? Iesus autem tacebat. Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti. Veruntamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederũt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit? Petrus verò sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem: & continuò gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: Priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amarè. Mane autem facto consilium inie- *Cap. 27.*
runt omnes Principes Sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Tũc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiens, laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrũ figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Iesus autem stetit ante Præsidem, & interrogauit eum Præses, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis. Et cùm accusaretur à Principibus Sacerdotum, & Senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses

vehementer. Per diem autem solennem consueuerat Præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent. habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi. multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem Sacerdotum, & seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent. Respondens autem Præses, ait illis: quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis Præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur. Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in Prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquàm illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cùm gustasset, noluit bibere. Postquàm autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes: vt impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes, seruabant eum. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptã. HIC EST IESVS REX IVDAEORVM. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: Salua temetipsum, si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc, si vult, eum: dixit enim: Quia filius Dei sum. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam

nonam.

nonam. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lammasabacthani? Hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant. Eliam vocat iste. Et continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri verò dicebant: Sine videamus, an veniat Elias liberans eum. Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathia nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu, hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda; & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulchrum.

Altera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis; & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite custodite, sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

Passio Domini nostri Iesu Christi secundùm Marcum.



N illo tempore: Erat Pascha & Azyma post biduum, & quærebant summi Sacerdotes, & Scribæ quomodò eum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem: non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Et cùm esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet; venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput eius. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim *Cap. 14.*


vnguentum istud venundari plusquàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. Iesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobiscum,& cùm volueritis potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. Quod habuit hæc,fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis: Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam eius. Et Iudas Iscariotes vnus de duodecim abijt ad summos Sacerdotes, vt proderet eum illis. Qui audientes gauisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodò illum opportunè traderet. Et primo die Azymorum,quando Pascha immolabant,dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in Ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum: & quocunque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit: Vbi est refectio mea,vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in Ciuitatem: & inuenerunt sicut dixerat illis,& parauerunt Pascha. Vespere autem facto venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Iesus: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cœperunt contristari,& dicere ei singulatim: Nunquid ego? Qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Et filius quidem hominis vadit,sicut scriptum est de eo: Væ autem homini illi,per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei,si non esset natus homo ille. Et manducantibus illis,accepit Iesus panem: & benedicens,fregit,& dedit eis,& ait: Sumite,hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis,quia iam non bibam de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam nouum in Regno Dei. Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum. Et ait eis Iesus: Omnes scandalizabimini in me nocte ista,quia scriptum est: Percutiam pastorem & dispergentur oues. Sed postquàm resurrexero,præcedam vos in Galilæam. Petrus autē ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te: Sed non ego. Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille ampliùs loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo: Similiter autem & omnes dicebant.Et veniunt in prædium,cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic donec orem. Et assumit Petrum & Iacobum & Ioannem secum: Et cœpit pauere, & tædere. Et ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: Sustinete hic & vigilate. Et cùm processisset paululùm,procidit super terram: & orabat, vt, si fieri posset, transiret ab eo hora: & dixit, Abba Pater, omnia tibi possibili

possibilia sunt, transfer calicem hunc à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Et venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti vna hora vigilare? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro verò infirma. Et iterum abiens orauit, eundem sermonem dicens. Et reuersus denuò inuenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant, quid responderent ei. Et venit tertiò, & ait illis: Dormite iam, & requiescite. Sufficit, venit hora, ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum, Surgite eamus. Ecce qui me tradet, prope est. Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iscariotes vnus de duodecim, & cum eo turba multa cũ gladijs & lignis missi à summis Sacerdotibus & Scribis, & Senioribus. Dederat autẽ traditor eius signum eis, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eũ, & ducite cautè. Et cùm venisset, statim accedens ad eum, ait: Aue Rabbi: & osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum. Vnus autem quidam de circumstantibus educẽs gladium percussit seruum summi Sacerdotis, & amputauit illi auriculam. Et respondens Iesus ait illis: Tanquàm ad latronẽ existis cum gladijs & lignis comprehendere me? quotidie eram apud vos in templo docẽs, & non me tenuistis. Sed vt impleantur scripturæ. Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone nudus profugit ab eis. Et adduxerunt Iesum ad summum Sacerdotẽ: & conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores. Petrus autem à longè secutus est eum vsque intro in atrium summi Sacerdotis, & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se. Summi verò Sacerdotes, & omne conciliũ quærebant aduersus Iesum testimonium, vt eum morti traderent, nec inueniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum: & conueniẽtia testimonia non erant. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentẽ: Ego dissoluam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conueniens testimonium illorum. Et exurgens summus Sacerdos in medium interrogauit Iesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi obijciuntur ab his? Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursum summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum, & videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli. Summus autem Sacerdos, scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam, quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza. & ministri alapis eum cædebant. Et cùm esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi Sacerdotis: & cùm vidisset Petrum calefacientem se, aspi-

ciens illum, ait: Et tu cùm Iesu Nazareno eras. At ille negauit, dicens: Neque scio, neque noui, quid dicas. Et exijt foras ante atrium, & gallus cantauit. Rursus autem cùm vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. At ille iterum negauit. Et post pusillùm rursus qui astabant, dicebant Petro. Verè ex illis es. Nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare & iurare. Quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim gallus iterum cantauit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus: Priusquàm gallus
Cap. 15. cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere. Et confestim mane consilium facientes summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis, & vniuerso concilio vincientes Iesum duxerunt & tradiderunt Pilato. Et interrogauit eum Pilatus: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi Sacerdotes in multis. Pilatus autem rursum interrogauit eum, dicens: Non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant. Iesus autem ampliùs nihil respondit, ita vt miraretur Pilatus. Per diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcunque petissent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cùm ascendisset turba cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis Regem Iudæorũ? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. Pontifices autẽ concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam Regi Iudæorum? At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum. Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eum: Aue Rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine: & cõspuebant eum, & ponentes genua adorabant eum. Et postquàm illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis, & educunt illum, vt crucifigerẽt eum. Et angariauerunt prætereuntẽ quempiam Simonem Cyrenæum venientẽ de villa, patrem Alexandri, & Rufi, vt tolleret crucẽ eius. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Caluariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & nõ accepit: Et crucifigentes eũ, diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortẽ super eis, quis quid tolleret: erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones: vnum à dextris, & alium à sinistris eius. Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cùm iniquis reputatus est. Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis tẽplum Dei, & in tribus diebus reædificas: Saluum fac temetipsum descendens de cruce. Similiter

ter & summi Sacerdotes illudentes ad alterutrũ cum Scribis dicebant: Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluum facere. Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horã nonam. Et hora nona exclamauit Iesus voce magna, dicens: Eloi, Eloi lammasabacthani? Quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et quidã de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat. Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circũponensq́; calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Iesus autem emissa voce magna expirauit. Et velum tẽpli scissum est in duo à summo vsque deorsum. Videns autẽ Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat. Erant autẽ & mulieres de longè aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater & Salome: quæ cùm esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam. Et cùm iam serò esset factum, (quia erat parasceue, quod est ante Sabbatum) venit Ioseph ab Arimathia nobilis decurio, qui & ipse erat expectans Regnũ Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur, si iam obijsset. Et accersito Centurione interrogauit eum, si iam mortuus esset. Et cùm cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph. Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti.

Passio Domini nostri Iesu Christi secundùm Lucam.



IN illo tempore: Appropinquabat dies Festus Azymorum, *Cap. 22.* qui dicitur Pascha: & quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ quomodo Iesum interficerẽt: timebant verò plebem. Intrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim: & abijt & locutus est cum Principibus Sacerdotum, & magistratibus quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniã illi dare. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis paremus? Et dixit ad eos. Ecce introeuntibus vobis in Ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domũ, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magister: Vbi est diuersoriũ, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnũ stratum, & ibi

parate. Euntes autem inuenerũt sicut dixit illis, & parauerunt Pascha. Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. & ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & diuidite inter vos. dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquàm cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et quidem Filius hominis secundùm quod definitum est, vadit: veruntamen væ homini illi, per quem tradetur. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est autem, & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatẽ habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recũbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: Vos autem estis, qui permansistis mecũ in tentationibus meis: Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Ait autem Dominus, Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ire. At ille dixit. Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniã adhuc hoc, quod scriptũ est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent. At illi dixerunt: Domine ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est. Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Oliuarum. Secuti sunt autem illum & discipuli. Et cùm peruenisset ad locũ, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem: Et ipse auulsus est ab eis, quantũ iactus est lapidis: & positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me: Verũtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autẽ illi Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem.

nem. Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos,& appropinquauit Iesu,vt oscularetur eũ. Iesus autem dixit illi: Iuda osculo Filium hominis tradis? Videntes autem hi,qui circa ipsum erant,quod futurum erat, dixerunt ei: Domine si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum Principis Sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram. Respondens autem Iesus ait: Sinite vsque huc. Et cùm tetigisset auriculam eius,sanauit eum. Dixit autem Iesus ad eos,qui venerant ad se Principes Sacerdotum, & magistratus templi, & seniores: Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus? Cùm quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra,& potestas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum Principis Sacerdotum: Petrus verò sequebatur à longè. Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum: Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier,non noui illum. Et post pusillum alius videns eum,dixit. Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo,non sum. Et interuallo facto quasi horæ vnius,alius quidam affirmabat,dicens: Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo,nescio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente cantauit gallus. Et conuersus Dominus respexit Petrum: Et recordatus est Petrus verbi Domini,sicut dixerat: Quia priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amarè. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes. Et velauerunt eum,& percutiebant faciem eius, & interrogabant eum,dicentes: Prophetiza quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et vt factus est dies,conuenerunt seniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum,dicentes: Si tu es Christus,dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non creditis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis,quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari,& dicentem se Christum Regem esse. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum,& turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes: Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit,si homo Galilæus esset. Et vt cognouit, quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodẽ, qui & ipse Hierosoly-

mis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valdè. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa de eo,& sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant adinuicem. Pilatus autem conuocatis Principibus Sacerdotum & magistratibus, & plebe,dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam inueni in homine isto ex his,in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc,& dimitte nobis Barabbam, qui erat propter seditionem quādam factam in Ciuitate, & homicidium missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos,volens dimittere Iesum. At illi succlamabant,dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertiò dixit ad illos. Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum & dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes, vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem,quem petebant; Iesum verò tradidit voluntati eorum. Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Ierusalem,nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies,in quibus dicent: Beatæ steriles: & ventres,qui non genuerunt:& vbera,quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus,operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt,in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et postquàm venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum a dextris, & alterum à sinistris. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes verò vestimenta eius,miserunt sortes: Et stabat populus spectans,& deridebant eum Principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei,& milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum,saluum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est Rex Iudæorum. Vnus autem de his,qui pendebant latronibus,blasphema-

ſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum: Domine memento mei cùm veneris in regnũ tuum. Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo. Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque in horam nonam, & obſcuratus eſt ſol, & velum templi ſciſſum eſt medium. Et clamans voce magna Ieſus, ait: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens expirauit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iuſtus erat. Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres, quæ ſecutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes. Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio, vir bonus, & iuſtus: hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathia ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipſe Regnum Dei. hic acceſſit ad Pilatum & petijt corpus Ieſu: & depoſitum inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.

Oratio ad Dominum Ieſum Chriſtum de ſingulis articulis paſſionis eius dicenda à moriente, vel ab alio pro eo.

℣. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi.

℟. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.

DEus, qui pro redemptione mundi voluiſti naſci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore oſculo tradi, vinculis alligari; ſicut agnus innocens ad victimam duci, atque conſpectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, à falſis teſtibus accuſari, flagellis & opprobrijs vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, cruci clauis affigi, in cruce leuari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari: tu Domine per has ſanctiſſimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per ſanctam crucem & mortem tuam, libera me [vel ſi alius dicit pro eo, libera famulum tuum N.] à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

MODVS IVVANDI MORIENTES.

De prouidendis aßistentibus mox morituro, déq. eorum officio.



Ora tantæ necessitatis, atque instantis mortis discrimine, debet vnusquisque fidelis charitatem suam erga proximum migraturum tanto feruentiùs, abundantiusq. monstrare, quantò tunc maior est indigentia; & præsertim omnis Prælatus parochus, siue eius Vicarius erga sibi cōmissos, ne ex sua negligentia, ouis sibi credita ab infernalibus illis lupis, crudelissimisq. prędonibus, & procacissimis & fallacissimis hostibus deuoretur, decipiatur, ac omnium Creatori, saluatoriq. animarum æternaliter auferatur.

Pastor ergo & custos, ac medicus animarum, tunc præcipuè curet adesse migraturo, pro quo & ipse coram Deo rationem reddere obligatur. Quòd si impeditus, vel aliàs personaliter adesse cōuenienter nequiuerit, summa cū diligentia prouideat, & dispo nat, vt deuotæ & religiosæ & prudentes personæ illi assistant quoad emiserit spiritū.

Et primùm quidem ægrotus ipse opportunè & satis tempestiuè est admonendus, præsertim à suo Pastore parocho, seu superiore, vt dum adhuc benè compos est mentis plenè & integrè confiteatur sua peccata, si nondum est confessus, vel si iam confessus est, & opus sit, iterum confiteatur, siue (vt loquuntur) reconcilietur; & quoties opus fuerit, peccatorum confessionem repetat.

Ac vt si nondum sacram communionem percepit, illam reuerenter suscipiat.

Item vt si extremam Vnctionem non accepit, illam deuotè petat, & accipiat.

Curet præterea parochus, seu assistens, vt præter deuotas orationes & pias historias, quæ ipsi ægroto perleguntur, recenseantur etiam illi Dei & Ecclesiæ præcepta; vt profundiùs meditetur, si quid aduersus ea deliquerit, quod negligenter oblitus fuerit confiteri: vel similis coram eo instructio recitetur.

Aduertat etiā, vt non detur ei nimia spes corporalis salutis recuperandæ, ne ea ex morientis animo salutis spiritualis curam excutiat aut imminuat. Sæpe namque per huiusmodi inanem & falsam consolationem, & incertam sanitatis corporeæ confidentiam, certam incurrit homo damnationem: quinimò moneatur, vt per contritionem & confessionem, animæ sanitatem procuret; quod & ad salutem corporis, si sibi expediens fuerit, valere poterit; & ita securior atque quietior erit.

Corporis autem incolumitatem à Deo postulare licebit ea conditione, si tamen expediat gloriæ eius diuinæ maiestatis, & ipsius animæ saluti.

Quare admoneatur, vt omni vana spe recuperādę valetudinis abiecta, omnia sua dispo nat, cūctis ignoscat, & sibi ab omnibus ignosci precetur: ablata & cūcta bona iniustè adepta, seu habita restituat, vel cū effectu restitui mandet, & debita sua persoluat, atque in remissionē peccatorum suijpsius, & suorū aliqua bona iuxta facultates sibi à Domino cōcessas, Ecclesiæ, & Christi pauperibus pro ipsorū subuentione largiatur.

Itemque vt mentem conuertat ad Dominum, eius misericordiam inuocando, eius pietati & gratiæ se commendando; diuinæ liberalitati, ac beneficentiæ gratias ex corde de vniuersis beneficijs sibi collatis deuotè agendo; diuinæ voluntati suam humiliter voluntatem conformando, & subijciendo; diuinæ quoque iustitiæ rigorem sapienter metuat; in sola Dei pietate, & gratia confidat, omne bonum ac meritum Deo plenè, & integrè adscribendo.

Insuper attendat ad acerbissimam passionem Domini nostri Iesu Christi, & illam recolat & meditetur (præsertim cùm illius historia legitur) & cætera eius beneficia, & omnem charitatem ipsius ad homines, & ipsum, pro se passum, saltem mente adoret, amplectatur, & benedicat. Inuocet quoque ex corde gloriosam eius genitricem semper Virginem Mariam, & Sanctos; eos præsertim ad quos maiorem habet deuotionem,

uotionem, patronos suos, vel Ciuitatis, aut loci, aut parochiæ, & sanctum Angelum suum custodem. Patientiam in omnibus seruet. Omnem item prauam suggestionem prorsus abijciat, atque ei omninò dissentiat & contradicat, potissimùm curando, vt in feruente, ac pura charitate & amore in Deum, seu in sincera conuersione ad eum perseuerans ex hac vita discedat; certus quòd in ea conuersione, seu auersione, in qua à corpore suo recesserit, in æternum permanebit, iuxta id quod scriptum est: si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. *Eccles. 11. a*

Curandum præterea est, ne coniux liberi, & alij propinqui, & amici carnales, quos valdè dilexit, aut pecuniæ, & bona, ac aliæ res temporales, quibus nimiùm addictus videbatur, ei in memoriam reducantur: nisi quantùm id exigit infirmi spiritualis salus, & cùm aliàs conuenienter omitti non potest: multoque minus res aut personæ, quæ ei peccandi occasionem præbuerunt.

Prouidendum quoque est, vt vel hic liber, vel Sacerdotalis, vel Ioannis Gersonis, aut Dionysij Carthusiani, vel Methodi confessionis, aut pij alicuius viri de arte benè moriendi, Codex seu opusculum habeatur.

Item vt si sancta Crux apud infirmum relicta post exhibitam Extremam Vnctionem coram non habeatur; tunc illa, vel alia ante morientis oculos collocetur, vt semper coram se habeat, & ipsa vel sacra alia crucifixi imago ei deosculanda sæpius præsentetur, seu porrigatur.

Sic etiam imago Beatæ Mariæ semper Virginis, aut alicuius Sancti, cui magis deuotus est, seu quem peculiari veneratione colebat, dum esset incolumis.

Item vt & vasculum cum aqua benedicta in eodem cubiculo, in quo iacet ægrotus habeatur, atque ea illud, & ipse ægrotus, & lectulus eius circumquaquè sæpius aspergantur ad pellendos dæmones & eorum auertendos incursus.

Insuper aliquis vir pius, seu religiosus qui ad id magis idoneus videbitur, sedeat assiduè iuxta ægrum, mox decessurum, & eum diligenter, & opportunè, feruenter & deuotè exhortetur de necessarijs, ac pertinentibus ad salutem, quamdiu intelligit, & capax esse videtur. Specialiter verò admoneatur, vt nulli diabolicæ suggestioni, nulli mortiferæ tentationi præstet consensum, imò omnibus illis viriliter reluctetur, & resistat, in infinita Dei misericordia confidendo, ac viscera diuinæ pietatis humiliter inuocando.

Et si assidens deprehendere poterit, qua tentatione moriens impugnetur, debet eum specialiter contra illam tentationem armare, commemorando ei congrua remedia aduersus eam. [vt etiam inferius traditur.]

Vniuersi demum, qui adsunt, debent pro eius defensione, & salute indesinenter cum omni compunctione, & feruore orare, excluso omni carnali & inordinato amore, omniq. aliena & ad rem non pertinente occupatione.

Curabit etiam sacerdos curatus aut assistens, vt si commodum fuerit pro salute animæ morientis in Ecclesijs, vel in Monasterijs & Conuentibus vtriusque sexus religiosorum, atque in alijs pijs locis Ciuitatis, Oppidi aut Terræ triduanæ, vel biduanæ seu quadraginta horarum iuges orationes instituantur, aut aliæ ad Deum supplicationes, & deprecationes fiant, suppeditatis etiam eleemosynis vel impensis pro qualitate personarum.

Necnon vt priuatæ, seu peculiares Missæ pro ipso infirmo seu proximo morti, aut cum eiusmodi collectis Missæ de sanctissima Trinitate, de Spiritu sancto, de cruce, vel de passione Domini, aut de beata Maria semper Virgine, aut de Angelis, aut etiam de sanctis Apostolis Petro & Paulo, aut de alijs mysterijs & sanctis iuxta deuotionem morientis, & suorum celebrentur: iudicio etiam ipsius Sacerdotis; qui & ipse pro eo orabit, & Missas itidem celebrabit.

Item vt pro modo facultatum Christi pauperibus, & pijs locis indigentibus eleemosynæ largiùs erogentur.

Et demum faciet & præstabit erga morientem alia pietatis officia, quæ sequuntur.

Exhor-

Exhortationes morientibus faciendæ:

Si infirmus in extremis laboret, & adhuc sensus vigeat, poterit Sacerdos placidis, lenibusq. verbis vulgari aut alio sermone (secundùm conditionem personæ) eum hortari, vt infrà.

Consídera frater charissime [vel soror charissima] omnibus, etiam Regibus, Principibus, diuitibus & pauperibus, & alijs cuiuscunque sint conditionis & status constitutum esse semel mori (alijs tardiùs, alijs citiùs) vt naturæ debitum soluamus, cùm Domino Deo nostro visum fuerit, qui in hoc mundo commorandi non habitandi dedit diuersorium. Non est ergo cur vitam istam tantopere desideres, in qua quantò diutiùs viuitur, tantò plus peccatur. Itaque tibi potiùs est gaudendum, quòd per hanc mortem à Dei offensa liberaberis, & ex hac temporali & misera vita ad æternam beatamq. Dei misericordiam commigrabis.

Hebr. 9. g

Agnosce charissime frater [vel charissima soror] cum gratiarum actione Dei beneficia in te collata. Quòd tibi hactenus etiam in hac extrema vitæ tuæ periodo sui cognitionem benignè indulserit. Quòd morte repentina te opprimi noluerit. Quòd te creaturam suam per orthodoxæ fidei religionem ad cœlestem hæreditatem misericorditer vocauerit. De quibus, alijsq. innumeris beneficijs Domino Deo nostro habe gratiam, teq. ingratum recognoscens, ad inexhaustam eius misericordiam confugias, & de peccatis tuis veniam humiliter postula.

Considera frater charissime [vel soror charissima] quòd Deus Pater Filium suum dilectum, insontem & innoxium, in quo sibi benè complacuit, pro nobis miseris peccatoribus tot & tantas tribulationes sustinere voluit. Vnde cùm in tuæ vitæ decursu multa & grauissima peccata commiseris, pro quibus pœnas his longè acerbiores commeruisti, huius morbi & mortis dolores patienter tolerare debes; Deum humiliter rogans, vt præsens dolor tibi valeat ad peccatorum tuorum remissionem; & vt Purgatorij horribiles cruciatus in istam afflictionem tuam per suam misericordiam commutare dignetur; & pro pœnis futuris det præsentes tribulationes, quæ nullæ sunt ad futuras. Quod si contrito corde petieris, pœnam necessariam tanquàm voluntariam feres, & Purgatorium tuum facies hîc in mundo, videlicet has pœnas, alioquin necessarias, & quas nulla ratione posses euitare, pro peccatis tuis soluendo: alioquin per impatientiam in æternam pœnam & damnationem incurres.

Patienter tolerauerunt mortem Christus & eius Martyres, tu quicquid in carne toleras leuius esse credas eorum tormentis. Velis nolis morieris: Fac igitur de necessitate virtutem, vt dum tributum naturæ persoluis, apud Deum inuenias meritum.

Si diu te in hac agonia Deus esse velit, patienter sustine, dicens: Domine adauge dolorem; sed adauge patientiam. Et cum beato Augustino:

gustino: Hic vre, hic seca: dummodò in æternùm parcas.

Super omnia autem in hac extrema hora constitutus meditare circa tuam spiritualem salutem: nunquàm enim fortassis in futurum huius meditationis occurret opportunitas. Omnem aliam solicitudinem & rerum terrenarum curam relinque, quas nihilominùs relinqui necesse est: quæ nec ab inferni præcipitio corruentem eripere valent. Plena fide te Deo committe, & ei qui omnipotens, summè bonus, summè sapiens est, te & tua & tuorum negotia regenda præbe & remitte. Omnem prætereà cogitatum tuum in eum dirige: adstantes solùm & superstites rogans, vt pro salute tua Deum suppliciter precibus exorent.

Considera etiam, quòd etsi Deum ex te dignè non promereris, ei tamen per ipsius gratiam coniungi poteris, sed non perfectè, nisi debitum naturæ persolueris. Itaque de Dei misericordia, non de proprijs meritis confisus, cum Apostolo dicas: Cupio dissolui & esse cum Christo. *Philip. 1.*
Et cum Propheta: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus. Et iterum: Concupiscit & *Psal. 41.* *Psal. 83.*
deficit anima mea in atria Domini: teq. totum Deo offeras, sicut & Sancti fecerunt, quos & tu imitari debes, contremiscens ob peccata commissa de Dei iudicio; sed non diffidens de illius misericordia.

Interrogationes seu protestationes, aut monitiones morientibus faciendæ, omnes, vel aliquæ pro loco, tempore & qualitate personarum, ne vel prolixitate defatigentur, vel per importunitatem, tædio aut molestia afficiantur.

NOnne frater charissime [vel soror charissima] firmiter credis omnes articulos fidei: & quicquid in tota sacra Scriptura continetur, per omnia secundùm sanctorum Catholicorum atque orthodoxorum Patrum, & sanctæ Ecclesiæ Doctorum expositionem: & insuper quicquid sancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia credit, docet & prædicat? Respondeat infirmus. Credo.

Nonne detestaris, reprobas, & anathematizas omnes hæreses, errores, & superstitiones, & quicquid eadem detestatur, reprobat & anathematizat Catholica sancta mater Ecclesia? Respondeat. Detestor, reprobo, & anathematizo.

Nonne vis mori in soliditate Christianæ & Catholicæ fidei, vt verus & Catholicus Christianus, & obediēs Ecclesiæ filius? Respondeat. Volo.

Nonne gaudes mori in fide Domini nostri Iesu Christi, & in vnitate & obedientia sanctæ matris Ecclesiæ? Respondeat. Gaudeo.

Fateris te non tam benè vixisse sicut debuisses? Respondeat. Fateor & pœnitet.

Cognoscisne te grauiter & sæpius offendisse Dominum Deum creatorem tuum, à quo tot & tanta beneficia accepisti, & à quo habes quicquid boni habes? Respondeat. Cognosco, & pœnitet.

Cogno-

Cognoſcis etiam multum offendiſſe animam tuam & proximum tuum? Reſpondeat. Cognoſco.

Doles ex corde de omni offenſa contra Dominum Deum tuum, teipſum & proximum tuum qualitercunque commiſſa? Reſpondeat. Doleo.

Doles de omni negligentia & omiſſione benè operandi, & de contemptu gratiarum à Domino Deo tuo tibi collatarum? Reſpondeat. Doleo.

Nonne petis à Deo veniam peccatorum, quæ commiſiſti contra eius ſummam maieſtatem, & quòd eum dignè non honoraſti? Reſpondeat. Peto.

Nonne te pœnitet ingratum fuiſſe Deo de compluribus beneficijs ab eo in te collatis ad ſalutem animæ tuæ? Reſpondeat. Pœnitet.

Nonne doles, quòd poſtquàm veniam & miſericordiam de peccatis tuis per Sacramentum pœnitentiæ à Domino Deo conſecutus es, recidens reuerſus es ad eadem vel ſimilia, vel etiam ad maiora peccata? Reſpondeat infirmus. Doleo.

Doles de his non mortis, nec cuiuſuis pœnæ timore; ſed ſolùm propter Deum, & conſiderationem offenſionis eius diuinæ bonitatis? Reſpondeat. Ita doleo.

Proponis in poſterùm, ſi Deo placuerit, te ab hac ægritudine liberare, toto tempore vitæ tuæ à peccatis mortalibus cauere, & vitam tuam in melius commutare atque corrigere; & potius quodcunque damnum temporale, aut mortem corporalem ſuſtinere, quàm Deum per peccatum mortale offendere? Reſpondeat. Propono.

Num es tibi conſcius aut memor alicuius peccati mortalis, de quo Sacerdoti non ſis confeſſus? Reſpondeat. Sum, *vel* non ſum.

Nonne de peccatis oblitis libens confitereris, ſi in mentem venirent? Reſpondeat. Confiterer.

Deſideras recordari omnium peccatorum tuorum oblitorum, vt de ipſis habere poſſis ſpecialem contritionem & dolorem & pœnitentiam? Reſpondeat infirmus. Deſidero.

Doles quòd non potes recordari de omnibus peccatis tuis non confeſſis, quibus Dominum Deum offendiſti in quocunque loco & cum quauis perſona, quæ ſi recordareris, integrè confitereris? Reſpondeat infirmus. Doleo.

Nonne optas cor tuum à Deo illuminari, vt oblita peccata in memoriam reuoces, & de ijs ſpecialiter valeas pœnitere, & ea confiteri? Reſpondeat. Opto.

Nonne credis, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus mortuus ſit pro noſtra omniumq. ſalute, & quòd nemo ſaluari poſſit, niſi in virtute & merito paſſionis eius? Reſpondeat. Credo.

Nonne ex corde parcis omnibus, qui tibi quoquomodo fuerunt moleſti, infeſti vel aduerſi? Reſpondeat. Parco.

Parcis omnibus inimicis tuis, qui verbo vel facto, tibi vel tuis in re aliqua nocue-

nocuerunt,amore Domini Dei tui, à quo etiam tu veniam tuorum peccatorum petis & speras; & hoc non solùm verbo, sed corde & firma voluntate? Respondeat infirmus. Parco.

Nonne omnibus veteribus inimicitijs ex tuo expunctis animo, cum inimicis paratus es in gratiam redire? Respondeat. Sum paratus.

Nonne ab ijs veniam postulas, quos aliquando dictis aut factis offendisti? Respondeat. Postulo.

Nonne vis omnia per te vel alios iniustè ac indebitè ablata integrè restituere illis à quibus habuisti, & propterea omnes facultates tuas, si aliter satisfacere non posses,exponere & erogare, veniam petens coram Deo & hominibus de huiusmodi iniurijs commissis? Respondeat infirmus. Volo & paratus sum.

Nonne omnem quem pateris dolorem propter Deum, in pœnitentiam tuorum peccatorum patienter & æquanimiter toleras? Respondeat. Deo adiuuante tolero.

Age gratias Christo Domino; ipsumq. inuoca Saluatorem, & quantùm potes toto corde eius passionem recole, & de ea cogita. Respondeat infirmus. Ago & cogitabo...

Si occurrerit tibi diabolus,ei semper appone merita Domini Iesu Christi. Respondeat infirmus. Apponam.

Si te tentauerit de fide, dicas te omnia credere & confiteri, quæ credit & confitetur sancta Catholica & Apostolica Ecclesia. Respondeat infirmus. Dicam.

Si occurrerit tibi seueritas diuinæ iustitiæ, quasi Dominus Deus velit te secundùm tua peccata iudicare,dicas: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine:quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Item Domine Deus, ego pono passionem crucem & mortem Domini mei Iesu Christi inter me & iudicium tuum; & quamuis meruerim æternam mortem propter peccata mea; interpono tamen meritum passionis eiusdem loco meriti, quod ego miser habere deberem, & non habeo.

Item Domine pono eandem passionem & mortem Domini mei Iesu Christi inter me & iram tuam; &, In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Respondeat infirmus. Dicam.

Orationes breues in morte dicendæ.

CVm diuersis hominibus diuersæ orationes conueniant: ideo plures & breues siue iaculatoriæ, & ex Psalmis nonnullæ proponuntur. Verùm inter omnes breuis & communis illa, sed grauissima & præclarissima est oratio Dominica, quam Dominus & Saluator noster proprio ore docuit discipulos suos, dicens: Sic orabitis, Pater noster qui es in cœlis &c. Hanc ergo orationem sanctissimam tàm infirmus, quàm qui ei assistunt, possint frequentiùs Deo offerre, ac iterare.

Aliqui

Aliqui magnam percipiunt consolationem in lectione passionis Domini, vel vitarum Sanctorum.

Aliquibus autem infirmis magis sapiunt Psalmi, & eos libentiùs legunt, & faciunt coram se legi, quoad spiritum emittant, exemplo S. Augustini, qui agens in extremis septem Psalmos pœnitentiales fecit in pariete scribi, & oculis suis apponi, quos legens ac intuens vberrimè fleuit:

Aliqui verò in quibusdam Psalmorum versibus ampliùs delectantur. Idcirco infra notandi & consimiles versus aliqui vel omnes, vt per tempus & statum ægrotantis licebit, à morituro sunt proferendi: vel si eos proferre non valet, ab aliquo præsente sunt ipso audiente pronuntiandi, & qui morientis dispositioni magis conueniunt, sunt ei specialiter proponendi.

In primis itaque dicatur vers. ille dignissimus à Christo Domino in cruce prolatus: **In manus tuas Domine commendo spiritum meum**, (qui morienti & agonizanti, etiamsi exaudire vel percipere nequeat, sæpissimè est recitandus & ingerendus) in hunc modum. *Psal. 30.*

Ibidem. & Lucæ 23. Dicas frater charissime, vel charissima soror, ex toto corde: In manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. Et dicat ter.

Quòd si non potest loqui, dicant pro eo Sacerdos & astantes:

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Psal. 3. Exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

Psal. 6. & 37. Domine ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.

Psal. 12. Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.

Psal. 16. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me vt pupillam oculi.

Sub vmbra alarum tuarum protege me; à facie impiorum qui me afflixerunt.

Psal. 37. Ne derelinquas me Domine Deus meus; ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

Psal. 43. Exurge Domine adiuua me; & redime me propter nomen tuum.

Psal. 50. Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam: & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. cum sequentibus versibus.

Ampliùs laua me ab iniquitate mea; & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui & malum coram te feci; vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; & in peccatis concepit me mater mea.
Auerte faciem tuam à peccatis meis; & omnes iniquitates meas dele.
Cor mundum crea in me Deus; & spiritum rectum innoua in visceribus meis.
Ne proijcias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.
Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.
Eripe me Domine de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me. *Psal. 58.*
Non me demergat tempestas aquæ: neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum. *Psal. 68.*
Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me.
Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.
Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.
Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. *Psal. 69.*
Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam.
Auertantur retrorsum erubescentes: qui dicunt mihi euge, euge.
Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.
In te Domine speraui non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me. *Psal. 70.*
Inclina ad me aurem tuam, & salua me.
Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum.
Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice.
Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione & pudore, qui quærunt mala mihi.
Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. *Psal. 78.*
Et hi quidem versus valdè deseruiunt pœnitentibus & imperfectis; ac etiam perfectioribus & charitate feruentibus: quibus tamen speciatim videntur conuenire alij versus, vt
Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. *Psal. 121.*
Domine dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ. *Psal. 25.*
Credo videre bona Domini in terra viuentium. *Psal. 26.*
Illustra faciem tuam super seruum tuum: saluum me fac in misericordia tua: Domine non confundar, quoniam inuocaui te. *Psal. 30.*
Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus. *Psal. 83.*
Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. *Psal. 115.*
Qui versus potest pluries repeti, vel saltem ter.
Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperaui.

Psal. 141. Clamaui ad te Domine, dixi, tu es spes mea: portio mea in terra viuentium.

Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi.

Psal. 142. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.

Et consimiles.

Lucæ 23. Sonet in mentis meæ auribus vox illa tua dulcis: Hodie mecum eris in paradiso.

Tunc etiam infirmus accipere aut tangere poterit proprijs manibus, si valet, carnes pectoris sui circa cor, & papillas, & cum lachrymis seu gemitu dicere.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, & Beatæ Mariæ semper virginis, totis visceribus meis confiteor & credo, quòd tu Redemptor meus viuis: & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle

Iob 19.d mea, & in ista carne mea videbo te Deum Saluatorem meum.

Inde ponat digitos suos super oculos, & dicat:

Et oculi isti te conspecturi sunt.

Postea eleuatis oculis ad cœlum se signet signo sanctissimæ crucis, præcipuè faciem pectus & corpus, & dicat:

Omnia mihi terrena vilescant. Ad te Deus meus propero, qui quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit præparasti diligentibus te. Et ecce in manus tuas Domine commendo spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis: Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per omnia sæcula seculorum. ℟. Amen.

Isaiæ 64. & 1.Cor.8.

Dicat etiam, si potest, infirmus infrascriptas orationes. Si autem inualescente morbo dicere non potest, dicat eas Sacerdos, aut aliquis de assistentibus mutatis mutandis.

Oratio ad sanctissimam Trinitatem.

O Summa Deitas, immensa bonitas, clementissima & gloriosissima Trinitas, summa dilectio, amor & charitas, miserere mihi misero Peccatori: tibi enim commendo spiritum meum.

Oratio ad Patrem.

Deus meus, pijssime Pater, Pater misericordiarum, misericordiam fac huic pauperculæ creaturæ tuæ. Adiuua nunc eam in hac extrema necessitate: Succurre iam Domine animæ egenti & desolatæ, sed in te solùm speranti; vt à canibus infernalibus non deuoretur.

Oratio ad Filium.

DVlcissime & amantissime Domine Iesu Christe fili Dei viui ob honorem & virtutem tuæ sanctissimæ passionis, iube me recipi in numerum electorum tuorum.

Saluator & redemptor meus redde me totum tibi, non me renuas; ad te venio, non me repellas.

Oratio ad eundem Filium.

DOmine Iesu Christe, paradisum tuum postulo, non ob valorem meritorum meorum, cùm sim puluis & cinis, atque peccator miserrimus: sed in virtute & efficacia tuæ sacratissimæ passionis, per quam me miserum redimere voluisti, & mihi paradisum tuo pretioso sanguine emere dignatus es.

Oratio ad eundem Filium.

DOmine Iesu Christe, propter illam amaritudinem, quam pro me sustinuisti in cruce, maximè in illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo.

Oratio ad beatissimam semper Virginem Dei genitricem Mariam.

O Regina cœlorum, mater misericordiæ, refugium peccatorum, reconcilia me vnigenito Filio tuo, eius clementiam pro me indigno peccatore interpella, vt ob amorem tui mea peccata remittat, & me perducat in gloriam suam. Item.

Maria mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege
Et hac hora mortis suscipe.

Oratio ad Angelos.

SPiritus cœlorum Angeli beatissimi, assistite quæso mihi migranti ex hoc seculo, & potenter eripite & custodite me ab omnibus immundorum spirituum insidijs & inuasione, atque animam meam in vestrum consortium assumite.

Tu præcipuè Angele Dei custos meus à Domino deputatus.

Inuocando eum etiam his verbis:

ANgele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie & hac hora illumina, serua, rege & guberna.

Oratio ad alios Sanctos.

SAncti Dei omnes [præsertim quorum hodie natalis dies commemoratur] vestro nunc mihi opus est patrocinio, vestris orationibus, citò mihi succurrite, citò subuenite.

Tum inquiratur ab infirmo vel eius domesticis, cui Sanctorum vel Sanctarum magis deuotus fuerit, & dicatur:

Specialiter verò te commenda Sanctis, quibus deuotus fuisti, dicens:

GLoriosissime sancte N. vel sancta N. in quem vel quam singularem, dum viuerem, spem & confidentiam semper habui, me in hoc extremo necessitatis articulo laborantem nō deseras; sed tuis precibus apud

Deum adiuua. Nam si vnquam, nunc maximè supra modum angor: tempus nunc instat & hora, iam in adiutorium meum intende.

Si plures sunt Sancti, ad quos specialem deuotionem habuit ipse infirmus, prædicta dicantur in numero plurali. Item dicat:

PAx Domini nostri Iesu Christi, & virtus passionis eius, & signum sanctæ crucis, & integritas beatissimæ semper Virginis Mariæ, & benedictio omnium Sanctorum, & custodia Angelorum; necnon suffragia omnium electorum, sint inter me, & omnes inimicos meos visibiles & inuisibiles in hac hora mortis meæ.

Postea subiungat etiam ter dicendo hunc vers.

Largire clarum vespere,
Quo vita nusquam decidat:
Sed præmium mortis sacræ
Perennis instet gloria.

Si ægrotus ex morte lingua præpedita ad interrogationes & admonitiones respondere non valeat, sit tamen mente sana & integra: moneatur saltem signo aliquo exteriori vel nutu, aut solo cordis consensu respondere: hoc enim sufficit ad salutem.

SEmper cum eo sermo sit de rebus spiritualibus, deq; se benè disponendo ad æternam animæ salutem capessendam; vt se totum Deo committat, affectum omnem ex mundo & rebus tẽporalibus auellendo, & in manibus Domini se liberè resignando, eiusq. passionem assiduè meditando, & de suis peccatis ab eo veniam ex corde petendo; ab eius fide exemplo sanctorum Martyrum, qui in ea vsque ad mortem perseuerarunt, nunquam deuiando; & postremò de illius misericordia, quæ omnium peccatorum numerum & grauitatem excedit, nunquam desperando.

Quoniam verò his duobus postremis modis diabolus plerunque varijs tentationibus morientes aggreditur, potissimùm verò vt vel in fide deficiant, vel in desperationem diuinæ misericordiæ incurrant: idcirco cautus sit & prudens Sacerdos, vt si in alteram istarum tentationum viderit morientem labi vel induci, statim promptas & opportunas habeat exhortationes sacræ scripturæ, doctrina & Sanctorum exemplis refertas, quibus ab errore eum reuocet; eumq. piorum orationibus commendet, vt ab huiusmodi tentatione quamcitiùs liberetur.

Itaque si diabolo suggerente à fidei orthodoxæ regula & veritate Catholica eum deuiare, seu quoquomodò declinare viderit, curet diligenter presbyter eum de fide Catholica instruere, & in ea confirmare, primùm ei proponens irrefragabilem veritatem ex diuina reuelatione, & firmitatem fidei Christianæ, quam Christus ipse edocuit, & innumeris ac maximis miraculis confirmauit; quamq. per Apostolos prædicari fecit, ac etiam miraculis confirmari, & pro qua Sancti Martyres omnes cruciatus & tormenta, ac etiam mortem ipsam libentissimè subierunt: quam quidem sancta vniuersalis & Catholica Ecclesia columna & firmamentum veritatis, Apostolo teste, ac toto orbe diffusa Spiritu sancto edocente ac in dies illustrante, semper & omni tempore prædicauit, ac tenet, docet & prædicat; & aduersus quam nec portæ inferi, iuxta Christi promissa, vnquàm præualebunt. Ac licet quamplurimæ hæreses diuersis temporibus contra eam insurrexerint, & his superatis vel extinctis aliæ sibi non consentientes indies insurgant, vna tamen eadem semper sibi constans permanet in ea fides, quam sancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia, & illius summus Pontifex verus Christi Vicarius tenet, profitetur & docet. Et hæc quidem Ecclesia quamuis varijs & assiduis infidelium & hæreticorum oppugnationibus quatiatur; tamen velut turris fortissima non subruitur nec euertitur.

1.Tim.3.d
Matth.16.c

Et

Et quamuis in hoc mundo tanquam nauicula in fluctuoso mari periclitari quandoque videatur, imperat tamen Christus vento & mari, qui pro eâ rogauit, cùm Petro dixit: Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. *Matth.8.c* *Luca 22.d*

Hoc autem munus alios Episcopos & Ecclesias in fide confirmandi, exequitur Petrus in suo successore Romano Pontifice, à cuius obedientia & fide nullus se vnquàm verè Catholicus seiunxit: nec quisquam sine æternæ salutis iactura recedit. Hæc & similia Sacerdos pro loco, & tempore, & personarum qualitate dicere poterit.

Si autem eodem instigante humanæ salutis hoste, ægrotus in aliquam desperationem veniæ suorum peccatorum incurrat, proponat ei Sacerdos infinitam Dei misericordiam, qui quoniam vult omnes homines saluos fieri, filium suum vnigenitum tradidit pro nobis in mortem crucis, cuius merito nullum est tam graue peccatum, quod per pœnitentiam non deleatur, sicut dicit per Prophetam: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis eius quæ operatus est, omnium iniquitatū eius, quas operatus est, non recordabor. Et Christus etiam in Euangelio dixit; Eum qui venit ad me, non eijciam foras. Cuius rei plura vtriusque Testamenti poterit exempla adducere, vt Dauid, Ezechiæ, & Manassis Regum, latronis in cruce pendentis, cui Dominus dixit: Hodie mecum eris in paradiso: Petri Christum negantis, & Pauli eundem persequentis; in quos tanta Christi misericordia exuberauit, vt illum suum Vicarium, hunc vas electionis & Doctorem gentium constituerit. Item mulieris peccatricis, cui Dominus dixit: Remittuntur tibi peccata tua. Mariæ Aegyptiacæ, Pelagiæ & Thaidis, & aliarum similium, quibus ob pœnitentiam Dominus & peccata dimisit, & ex meretricibus sanctas mulieres effecit; & quòd magnum est gaudium in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente, & maximum peccatum est de immensa Dei misericordia desperare; & quòd magis peccauit Iudas de Christi misericordia desperando, quàm ipsum Iudæis tradendo. Et demùm, quòd est articulus fidei, credere remissionem peccatorum. *1.Tim.2.a* *Ezech.18.e* *Ioan.6.d* *Luca 23.e* *Luca 7.g*

Insuper valde expedit & vtile est, vt in ipso mortis agone, instante præsertim transitu ægroti, ab ijs qui assistunt alta voce legatur, ac sæpius repetatur Symbolum Apostolorum, Credo in Deum Patrem; vel Symbolum Nicæni & Cōstantinopolitani Conciliorum, Credo in vnum Deum, sicut fieri mos est in aliqua Religione; vt per fidei Catholicæ confessionem ipse moriens in eius constantia & firmitate roboretur & confirmetur; & dæmones, qui tunc maximè morientes de fide tentare solent, confundantur & repellantur.

Si mors diutiùs differatur, & moriturus prolixum temporis spatium ad sui recollectionem habeat, nec morte festina præueniatur: poterunt coram eo ab astantibus legi vel etiam repeti aliquæ historiæ & orationes ex prædictis, vel aliæ piæ & deuotæ, quibus dum esset sanus oblectabatur, seu aliæ orationes & precationes pro morientibus, & psalterium assiduè perlegi.

Piæ aliquæ speciales orationes pro morientibus.

Oratio ad Deum Patrem.

O Pater omnipotens & æterne, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, tuam deprecamur bonitatem superpijssimam & immensam, per ineffabilem illam charitatem, qua dilexisti genus humanum, quando vnigenitum atque charissimum filium tuum misisti in

hunc mundum pro nostra redemptione, & ipsum ex sacratissima ac mundissima Virgine Maria voluisti incarnari, & inter homines conuersari, ac tandem acerbissimam ac ignominiosissimam mortem subire. Ostende Domine in hac hora pietatis tuæ abyssum, & charitatis tuæ dulcedinem in hac tua rationali creatura nunc mortaliter infirmante, & ad te Patrem cœlestium spirituum redeunte. Ostende ei ò clementissime ac supergloriosissime Deus Pater lucem miserationum tuarum. O Deus sancte, fortis, & immortalis conforta mentem eius in te, intellectum eius illumina, voluntatem eius accende, & conserua in te omnium vltimo ac beatifico fine summo & incommutabili infinito, & incomparabili bono: protege eum ò præstantissime Pater ab omni potestate aduersaria, ab omni occursu contrario, à tentationibus vniuersis, non secundum peccata sua facias ei: sed secundum tuæ benignissimæ bonitatis immensitatem, secundum tuam charitatem affluentissimam, & paternam, secundum multitudinem miserationum tuarum ei nunc, ò superdulcissime Deus pater miserere, & indulgere, parcere ac adesse digneris: & suscipe spiritum eius in brachijs tuæ dilectionis, per vnigenitum tuum Dominum nostrum Iesum Christum, per vniuersa mysteria & beneficia eius, per omnia quæ in ipso pro nostra salute assumpsit, fecit ac passus est, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Oratio ad Filium Dei.

DOmine Iesu Christe vnigenite Patris summi, ob tuam te obsecramus dignissimam incarnationem, sanctissimam in hoc mundo conuersationem, atque plenissimam charitatem, quam omnibus nobis in cœna nouissima demonstrasti, corpus tuum purissimum, ac pretiosissimum sanguinem tribuendo discipulis in escam & potum: & per vehementem illam anxietatem, qua contremuisti quando post trinam tuam orationem factus est sudor ex tenerrimo corpore tuo erumpens sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, atque per omnem mansuetudinem, humilitatem & patientiam, quas tempore passionis habuisti, dum à scelestissimis transgressoribus captus, ligatus, consputus, irrisus, blasphematus, & alapis cæsus fuisti: per omnem quoque dolorem, quem sustinuisti quando tam inhumaniter es flagellatus, spinis coronatus, proprijs humeris crucem baiulans ductus, diris clauis confossus, & in crucis patibulo violentissimè es distentus, & ipsam mortem perpessus: per omnem etiam compassionem, qua tibi tunc condoluerunt discipuli, & amici tui astantes, specialiter sanctus Ioannes, & deuotæ mulieres te secutæ, specialissimè tua dilectissima genitrix virgo Maria: esto in hora hac pijssimus miserator huius animæ à suæ carnis ergastulo recedentis, ad cuius deuorationem concurrerunt, & astant tot lupi & dracones, belluæ infernales, à quorum rabie, importunitate, atque ferocia eam eruere modò digneris: circunda & imple

eam

eam lumine tuæ clementiæ, virtute constantiæ, charitatis ardore, & omni pietate ac gratia ei necessaria ad salutem. O Domine, & Saluator, Rex, iudex ac legifer noster, propter charitatem illam perfectam, ineffabilem pietatem, qua in cruce pendens pro tuis crucifixoribus exorasti: indulge pijssime huic mox migraturo, & nos pauperes seruulos tuos exaudi nunc misericordissime Domine deprecantes pro illo, vt Angelica ope protectus, tuo metuendo tribunali præsentetur saluandus, ac clementer tractandus. Qui cum Patre & Spiritu sancto vnus es Deus æternaliter viuens, & omnium dominator. Amen.

Oratio ad Spiritum sanctum.

OBsecramus bonitatem tuam munificentissimā atque dulcissimam, ô Spiritus sancte, qui es laborantium subleuator, periclitantium liberator, errantiumq. reductor, vt propter mutuum illum ardentissimum & immensum amorem, quo tu verus Deus, Patrem æternum, & vnigenitum eius filium æternaliter & inuariabiliter amas, & ab eis amaris. Ostende nunc charitatem tuam in anima agonizantis istius. In hoc laboriosissimo eius conflictu gratiosissimè subleua eam, in tanto constitutam periculo misericordissimè adiuua: si in aliquo deuiat, ne differas eam reducere, septiformem gratiam tuam effunde in eam. Esto ei ductor & finis, beatificator & custos, propter superliberalissimam illam donationem, qua tibi à Patre & Filio data est, Deitatis plenitudo per æternam spirationem, inenarrabilem magnitudinem tuæ liberalissimæ benignitatis declara in anima ista hoc seculum relinquente, quatenus educta de carcere huius exilij, inueniat hodie receptaculum gratiosum consolatoriumq. hospitium. O superdignissime consolator Spiritus sancte, qui cum Patre & Filio, vniuersorum es conditor, iudex ac Dominus. Amen.

Oratio ad superbeatissimam Trinitatem.

O Trinitas adoranda, vnitas summa, & Deitas simplicissima, ob tuam inseparabilem vnionem coniunge tibi per charitatem perpetuam gratiamq. finalem spiritum huius nunc morientis, vt per gloriæ vnionem plenariam, vnus tecū sit spiritus per feruentissimæ dilectionis intimissimam transformationem. O Trinitas consubstantialis coæqualis & coæterna, ob tuam substantialem identitatem, essentialemq. vnitatem, animam istam Christo incorpora, & mystico eius corpori insere eam, vt tanquàm oliua fructifera plantetur in paradiso cœlesti, & choris inseratur Angelicis. O supergloriosissima Trinitas propter communicationem & emanationem tuam ad intra, effunde super istum agonizantem dona gratiæ tuæ, & abundantiam pietatis ac largitatis tuæ in hac hora in ipso demonstra, ne abducatur aut separetur à te. O Pater æterne, ô vnigenite Dei superpulcherrime, ô suauissime paraclete Spiritus sancte Deus, vnus & trinus, ob tuam mutuam intuitionem plenè comprehensiuam, & infinitè iucundam, fac animam istam te nunc per fidem sinceriter intueri: ob tuam mutuam dilectionem su-

per ardentiſſimam, ac intenſiuè immenſam, accende eam tuo ſancto amore: ob tuam mutuam fruitionem, beatiſſimam & æternam perduc eam ad tui beatificam fruitionem: propter omnem charitatem, miſericordiam & gratiam tuam ſuper genus humanum, educ eam de corpore omni virtute ornatam, per vniuerſa myſteria, merita ac beneficia Ieſu Chriſti; per preces & merita Virginis glorioſæ Mariæ, omniumq; Sanctorum, & electorum tuorum. Amen.

Oratio ad Virginem glorioſam, & ad omnes Sanctos.

BEatiſſima Virgo Maria totius humani generis fideliſſima aduocata. O Regina miſericordiæ, cui regnum miſericordiæ à Deo omnipotente commiſſum eſt. O affectuoſiſſima hominum miſeratrix, & ardentiſſima eorum amatrix: ob incarnationem, natiuitatem, & educationem vnigeniti Filij Dei ex te: ob omnem tui & eius mutuam in hac vita conuerſationem, mutuamq. dilectionem: propter omnem charitatem, perfectionem, virtutem, & excellentiam gratiam & gloriam tibi à ſuperbeatiſſima Trinitate exhibita. O vniuerſa triumphans Eccleſia, ò omnes Angelici chori, & cuncti Ciues cœleſtes, ſancti Patriarchæ, illuminati Prophetæ, glorioſi Apoſtoli, Martyres victorioſi, Confeſſores fideles, Virgines ſacræ. O ſancte Michael Princeps Eccleſiæ, & tu Angele ſancte cuſtos huius infirmi, clementer ſuccurrite animæ hinc migranti, eam conſolari ac adiuuare dignemini, quouſque ad veſtræ beatiſſimæ ſocietatis admittatur ingreſſum. Amen.

Commendatio animæ emigrantis.

O Dilecta nobis in Chriſto anima, adorandæ Trinitatis imagine, ac ſimilitudine inſignita, ſanguine Filij Dei redempta ad æternam beatitudinem condita, & nunc Eccleſiaſticis Sacramentis munita, egredere confidenter de corpore mortis huius, & ad tuum perge creatorem ac iudicem, qui te miſericorditer dignetur ſuſcipere, ac mititer iudicare. Occurrant atque ſubueniant tibi omnes Sancti & ciues cœleſtis Hieruſalem, nec tibi auxiliari deſiſtant, donec ad locum habitationis gloriæ eorum, ad paradiſum cœleſtem, ad regnum felicitatis æternæ introducaris ad laudem & gloriam omnipotentis Dei. Amen.

Deinde ſi adhuc agonizans viuit, & tempus ſuppetit, dicantur ſiue repetantur Litaniæ ordinariæ, quæ habentur ſupra de Sacramento Extremæ Vnctionis pag. 332. vel etiam breues, quæ etiam habentur ſuprà in principio Commendationis animæ, pag. 341.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon, &c. cum ſequentibus verſibus, & proſequantur.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro eo.
Propitius eſto parce ei Domine.
Propitius eſto libera eum Domine.
A morte perpetua libera.
A viſione diaboli libera.
A terrore dæmonum libera.

A gelu

A gelu horrido, & calore nimio libera.
A diffidentia mentis libera.
A tenebris mentalibus libera.
A loco pœnarum & pondere peccatorum libera.
Ab omni malo & auditu maledictionis æternæ libera.
Per annuntiationem & natiuitatem tuam libera.
Per vincula, opprobria & conuitia tua libera.
Per flagella, alapas & sputa, quæ pro nobis sustinuisti libera.
Per coronam spineam, derisiones, passionem, & crucem tuam libera.
Per sacratissimam mortem tuam libera.
Per gloriosam resurrectionem tuam libera.
Per admirabilem ascensionem tuam libera.
Per gratiam Spiritus sancti Paracliti libera.
In die iudicij libera.
Per intercessionem omnium Sanctorum libera.
Peccatores te rogamus audi nos.
Vt iracundiæ flagella ab eo remoueas te rog.
Vt eum ab omnibus erroribus absoluas te rog.
Vt spiritum eius à loco horroris & tenebrarum liberes te rog.
Vt eum in numerum electorum tuorum assumas te rog.
Vt à consortio malorum eum discerni facias te rog.
Vt eum in regione viuorum cum sanctis Angelis collocare digneris. te rogamus audi nos.
Vt eum præmia vitæ æternæ adipisci facias te rog.
Vt eum à mortifero diabolo defendere digneris te rog.
Fili Dei te rog.
Domine Iesu Christe pro nobis crucifixe te rog.
Domine Iesu Christe de aduersarijs triumphator te rog.
Domine Iesu Christe aduocate noster clementissime te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi parce ei Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miserere ei Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi dona ei pacem.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluum fac seruum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Et subdantur orationes sequentes, vel aliquæ illarum.

Oremus. Oratio.

MIsericordiam tuam Domine sancte pater omnipotens æterne Deus pietatis affectu pro alijs orare cogimur, qui pro nostris peccatis nequaquam sufficimus: tamen de tua gratuita pietate confisi, clementiam tuam deposcimus, vt animam huius famuli tui ad te reuertentem cum pietate suscipias. Adsit ei Angelus Michael, & per manus sanctorum Angelorum inter Sanctos & electos tuos in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob Patriarcharum tuorum eam collocare digneris: quatenus à Principibus tenebrarum, & de locis pœnarum liberata, nullius ignorantiæ aut propriæ voluntatis seu fragilitatis confundatur erroribus; sed potiùs agnoscatur à tuis, & sanctæ beatitudinis requie perfruatur, atque cùm magni iudicij aduenerit dies, inter Sanctos tuos resuscitatus, gloria beatissimæ tuæ visionis perpetuò satietur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

SVauissime Domine Iesu per illum ineffabilem amorem, qui te dignissimum, innocentissimum & delicatissimũ paternæ charitatis filium pro nobis factum hominem, vulnerari ac crudeliter mori pro hominibus redimendis fecit: indulge clementissime Domine Iesu huic famulo tuo omne quod cogitatu, verbo & facto, affectionibus, motibus & sensibus animæ & corporis deliquit, & veram omnium peccatorum suorum remissionem concede. Sacratissime Domine Iesu tribue illi spirituale lumen tuæ ardentissimæ charitatis, qua totius mundi culpas diluisti; ac in plenam suppletionem omnium negligentiarum suarum, meritum tuæ sacratissimæ passionis adde. Et insuper tribue illi fructum omnium bonorum operum per electos tuos, qui tibi placuerunt, factorum: qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas in secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

GLoriosissime Domine Iesu, in vnione feruentissimi amoris, qui te cōegit incarnari, & anxio spiritu in cruce mori, ad medullam dulcissimi amoris tui pulsamus, vt famulo tuo omnia peccata, quæ quocunque modo commisit, dimittas; & tuo perdignissimo passionis merito omnia suppleas, faciasq́. illi secundùm superabundantissimam multitudinem miserationum tuarum. Disponas eum placidissimo tibi modo sibi vtilissimo, suaui patientia, vera pœnitentia, plena remissione, recta fide, spe firma, ardenti charitate, & perfectissimo statu, quatenus inter dulcissimum amplexum, & suauissimum osculum tuum, ò clementissime Domine Iesu, eius anima lætanter expiret, ad tuam æternam laudem & gloriam laudandam, cognoscendam & fruendam. Qui cum Patre.

Oremus. Oratio.

SAcratissime Domine Iesu Christe, in manus inextinguibilis misericordiæ tuæ commendamus spiritum huius famuli tui secundùm amoris

tui magnitudinem, quo se anima tua sanctissima in cruce glorioso Patri commendauit: suppliciter deprecantes, quatenus per illam ineffabilem charitatem, qua diuina paternitas in se totam traxit illam sanctissimam animam tuam, in ista hora famuli tui in eodem feruentissimo amore spiritum suscipias. Eia dulcissime Domine Iesu Christe animarum redemptor, benignissime Domine, per illam lacrymabilem vocem, qua secundùm humanitatem pro nobis moriturus, laboribus & doloribus passionis adeò consumptus es, vt te à Patre derelictum clamares: ne longè, suauissime Iesu, facias à famulo tuo tuæ miserationis auxilium in hac hora afflictionis suæ, præ defectione & cōsumptione spiritus te inuocare non valente; sed propter triumphum sanctæ crucis, & per virtutem salutiferæ passionis & gratiosæ mortis tuæ, cogita de eo cogitationes pacis, misericordiæ, consolationis, & non afflictionis. Et libera eum ab omnibus angustijs, & tua solita benignitate, bone Iesu dulcissime Pater, erue illum à tormentis sibi deputatis, & ad æternam requiem illum perducere digneris cum voce exultationis. ℞. Amen.

Oremus. Oratio.

MIsericordissime Domine Iesu Christe, fili Dei viui, in vnione illius commendationis, qua tuam sanctissimam animā in cruce moriens Patri tuo cœlesti commendasti, misericordissimam bonitatem tuam humiliter exorantes petimus; quatenus per omnem honorem & meritum eiusdem animæ tuæ sanctissimæ, per quam omnes saluantur animæ, & à morte perpetua liberantur, animæ famuli tui miserearis, eam misericorditer liberans ab insidijs diaboli, à miserijs & pœnis, & illam per sanctissimæ passionis tuæ meritum, & beatissimæ ac gloriosissimæ semper Virginis & matris tuæ Mariæ intercessionem, ad contemplationem beatissimæ visionis perducere digneris. ℞. Amen.

Oremus. Oratio.

O Pijssime Domine Iesu Christe decus & gloria Sanctorum & Rex seculorum, qui in cruce pendens pro tuis crucifixoribus Patrem rogasti, dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt: deprecamur maiestatem tuam Domine Iesu Christe, vt in mente huius serui tui, tuæ orationis affectum renouare digneris, quatenus omnes eius offensas illi dimittas: & sicut tunc tu exauditus es, sic nunc cum Patre ipsum, nosq. pro illo orantes exaudire digneris: nescit enim quid faciat, dum ex fidei tarditate tepidus coram te existit. Exoramus te bone Iesu, vt in hoc obitu suo omnia peccata illi dimittas, & pro tuæ sacratissimæ passionis merito, ad Angelorum societatem eum clementer perducas. ℞. Amen.

Oremus. Oratio.

O Gloriosissime Domine Iesu Christe, dulcedo Angelorum, qui in cruce pro nobis pendens, veram fidei lucem in cor latronis infudisti, vt te verum Deum & hominem cognosceret, dum clamauit: Me-

mento mei Domine, dum veneris in regnum tuum: maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt in hoc famulo tuo in extremis laborante venerabile fidei Sacramentum & dignitatem conseruare digneris: quatenus tua sanctissima passione mediante, sic in cor eius tuum amorem imprimas, vt in suo obitu, tuo ardens amore, ab immundis spiritibus liberetur, & ad tuam beatã gloriam cum iubilo perducatur. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

O Clementissime Domine Iesu Christe verbum æterni Patris, ac fili gloriosissimæ Mariæ virginis matris, qui mundum visibiliter descens, & maternæ solitudini compatiens, ei prædilectum discipulum tuum in filium dedisti; supplicamus humiliter maiestati tuæ per merita passionis tuæ, per preces & merita eiusdem dilectæ matris tuæ, & prædilecti discipuli tui, quatenus digneris in animam huius serui tui spiritum tuæ charitatis infundere, quo tibi cohærens, Deo Patri adoptetur in filium. Committe quæsumus Domine de throno gloriæ tuæ curam huius animæ, gloriosæ matri tuæ: quatenus in mortis agone aspectus dæmonum non paueat, sed in te læta mente confidentem clementer suscipias, & ad cœlestem gloriam deducente sacratissima matre tua, facias peruenire. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

O Pijssime Iesu Christe Dei & hominum mediator, qui pro salute nostra pœnas nobis debitas in tuo passibili corpore sustinuisti, & vt grauiores pœnarum amaritudines gustares, sponte voluisti in hora tuæ passionis à tua humanitate dulcedinem vnitæ tibi deitatis subtrahere, cum clamasti: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? oramus clementiam tuam, quatenus suauissime Domine Iesu Christe, huius serui tui animam protegendo, tua suaui consolatione lætifices: nam si ipsum ipse pastor deseris, mox aduersarius tuus in ipsum irruet & occidet. Si propter demerita sua tribulari & deseri meretur, quæsumus suauissimam bonitatem tuam, ne illum aduersarijs trádas, diffidentiæ & desperationis tenebris tribulandum, nec insensibilem ad gratiam facias: sed per charitatis tuæ gratiam viuens, & tuæ absentiæ amaritudinem sentiens, pia voce gemendo ad te clamet: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Tu autem pijssime Pater & bone pastor, tua suaui pietate subueni, quem pretioso sanguine tuo redemisti: nec tua gratia diu ipsum in hoc obitu patiatur affligi, donec ad cœlestem patriam tuorum merito dolorũ clementer perducas. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

O Suauissime Domine Iesu Christe Dei & hominum mediator, qui inter cætera tormenta, quæ in cruce pertulisti, corporaliter sitire voluisti vehementer, dum clamasti, sitio: deprecamur maiestatem tuã, quatenus animam serui tui in illo nunc igne digneris vrere, quem in terras mittere venisti, quo cunctis vitijs exsiccatis, illius anima & caro charitatis tuæ igne succensa, te solum sentiat, te diligat, te quærat, reperiat

periat & fruatur, & ipsam ad æternam beatitudinem sanctissimæ passionis tuæ merito gaudenter adducere digneris. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

O Sacratissime Domine Iesu Christe, omne bonum consummans, qui cùm acetum gustasses, dixisti: Consummatum est: & inclinato capite spiritum emisisti: obsecramus maiestatem tuam pro anima huius famuli tui in extremis existentis, quatenus gratiæ tuæ dulcedinem, & splendidum fidei lumen illi infundas; vt extremam horam in sanctæ charitatis tuæ brachijs finire, & tibi dicere valeat: Ecce clementissime Domine Iesu, nunc ad te venio, tua suaui voce iube suscipi spiritum meum in æternam tuam claritatem. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

O Sacratissime Domine Iesu Christe, corona certantium, qui in cruce pro nobis pendens docuisti nos compendiosè in extremis nostris orare, dum tu nobis exemplum tribuens, clamasti: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: exoramus maiestatem tuam, quatenus in virtute Spiritus sancti eandem digneris orationem in corde huius famuli tui imprimere, vt eam personet, & in hac eius extrema hora illius sentiat effectum, in tuas sacratissimas manus animam suam humiliter commendando. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

O Misericordissime Domine Iesu Christe, humani generis reparator, qui in die passionis tuæ in neruorum & ossium contractione pœnam acerbissimam sensisti, & pretiosissimum caput tuum spinarum densitate punctum fuit, & latus tuum lancea perforatum, vnde fluxit sanguis & aqua: deprecamur maiestatem tuam, quatenus animam huius famuli tui, virtutum luminoso splendore illustres, & tribuas illi tuarum acerbitatis spinarum merito de offensis ab eo tibi illatis vehementer dolere & pœnam habere, vt omnia eius delicta tuæ pretio sacratissimæ passionis deleantur, & ad Angelorum societatem, te trahente, valeat peruenire. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

O Clementissime Domine Iesu Christe solamen miserorum, qui peccata nostra in tuo corpore portasti, verè tu es Deus, qui dolores nostros pertulisti, & à perpetua morte nos liberasti, quia in sacratissimo corpore tuo à planta pedis vsque ad verticem non fuit sanitas; & qui eras præ filijs hominum speciosus, quasi leprosus reputatus fuisti: deprecamur suauissimam charitatem tuam, quatenus omnia huius serui tui peccatorum vulnera sanes, vt omnibus vitijs emundatus, ad te clementissimum Patrem & Dominum spirituali solatio roboratus, lætanter valeat peruenire. Et quia tuo pretiosissimo sanguine est redemptus, & tuæ passionis insignia gestat, ad gloriosissimam visionem tuã, omnium passionum tuarum merito, comitantibus sanctis Angelis eum deducere digneris. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

O Suauissime Domine Iesu Christe beatorum requies, & omnium in te sperantium salus iucundissima, qui in nocte passionis tuæ ad Patrem orasti: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat: & illa hora in tanta angustia fuisti, vt de pretioso corpore tuo sanguis efflueret: deprecamur te bone Iesu, quatenus solita pietate tua adiuues animam huius famuli tui, vt pro delictis & offensionibus, quæ commisit, terreatur, & moueatur ad veram pœnitentiam, vt in hac extrema hora in occursu aduersarij non paueat, nec in aduentu & aspectu tui, iudex tremende, accusante conscientia contremiscat; sed potiùs faciem tuam in iubilo videns delectetur: præstante te Domino nostro Iesu Christo, cuius passione redemptus est. ℞. Amen.

Oremus. Oratio.

O Dulcissime Domine Iesu Christe, misericordiarum pater, & totius consolationis Deus, qui in horrenda nocte tuæ amarissimæ passionis à discipulis tuis derelictus, inter aduersarios tuos solus remansisti: supplicamus pietati tuæ, vt nunc in obitu huius serui tui, animam eius non derelinquas in manibus dæmonum, auxilio tuo destitutam: sed ad locum quietis & tuæ beatissimæ visionis ipsam per tuæ mortis virtutem perducas. ℞. Amen.

Oremus. Oratio.

O Sacratissime Domine Iesu Christe Saluator mundi, qui ob peccata nostra abolenda crudeliter verberari, spinis turpiter coronari, ab æmulis tuis enormiter illudi, & in cruce nudus, vt latro affigi voluisti: exoramus te Domine Iesu Christe per has passiones tuas, vt animam huius famuli tui in extremis laborantis vera contritione in peccatorum commissorum dolore verberes, & vero timore corones, & in cruce tua omnes eius mentales sensus crucifigas, quatenus sic totus à te spiritualiter vulneratus, tuorum vulnerum merito omnium delictorum suorum veniam consequatur, & ad gaudia cœlestia peruenire mereatur. ℞. Amen.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui es semper per omnia Deus benedictus in secula, quem omnis spiritus laudat, te suppliciter exoramus; vt per meritum illius ineffabilis & excellentissimæ charitatis, qua dilectissimus filius tuus Dominus noster Iesus Christus homo fieri dignatus est, & qua etiam pro salute nostra vincula, opprobria, conuitia, flagella, alapas, coronam spineam, ac immanissimam mortem amantissimè passus est. Ac etiam per meritum gloriosissimæ & beatissimæ semper Virginis matris eius Mariæ, & omnium Sanctorum, qui tibi ab initio mundi placuerunt; necnon per virtutem clauium spiritualium, quas, clementissime bone Iesu, Ecclesiæ tuæ ministris tradidisti, vt huic famulo tuo in extremis laboranti misericorditer indulgere digneris

omnia peccata sua, quæ ab hora sacri baptismatis vsque ad præsens quoquomodò malitia, miseria, ignorantia, ac fragilitate commisit. Et ipsum per sanctas indulgentias & absolutiones ex thesauris tuæ immensæ charitatis concessas, reddere digneris in illa puritate, innocentia, ac spirituali claritate, quas in baptismate donare dignatus es.

Dignare etiam suauissime Domine Iesu ab omni aspectu & terrore dæmonum ipsum tueri, & propter gloriosi nominis tui honorem, ipsum in conspectu diuinæ maiestatis tuæ gratum reddere; quatenùs dulcissime ac amabilissime redemptor bone Iesu, merito omnium Sanctorum tuorum, & præsertim sacratissimæ passionis tuæ, animam eius in vlnas sanctæ charitatis tuæ clementer suscipias, te perenni iubilo in cœlorum beatissimo regno fruituram. ℟. Amen.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui trinus & vnus es, tua eximia compulsi charitate te humiliter exoramus pro anima serui tui nunc in extremis laborantis, quam sacratissime Domine commendamus pijssimæ omnipotentiæ tuæ, vt illam ab aspectu & terrore dæmonum custodias & tuearis, ne in desperationem labatur, nec diffidentiæ tentationibus obnubiletur, ac præteritarum culparum recordatione maculetur. Exaudi nos Domine gloriose tuam suauissimam bonitatem interpellantes pro illa, & exaudi per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per victoriam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, per deuotam intercessionem omnium, qui tibi ab initio placuerunt.

Suauissime Domine, ab istius anima repelle iactantiam, & compunctionem tribue, superbiam minue & confice humilitatem, fletum suscita, & cor eius mollifica: ab omnibus insidijs inimici illam clementer libera, & in lumine fidei conserua. Lumen gratiæ tuæ infunde illi, vt de omnibus suis peccatis veram contritionem obtineat.

Clementissime Domine, omnia desideria mala tolle ab ipsa, omnia diaboli tela ignea extingue. Dona illi lacrymas ex tuo ardenti affectu, quæ peccatorum suorum dissoluant vincula.

Audi Domine quæ petit, & celeriter exaudi: si despicis prorsus perit: si prospicis, viuit: si iustitiam requiris, ante te mortua fœtet: si cum misericordia respexeris, ipsam peccatis fœtentem de desperationis barathro suscitas. Quod in ea odisti, longè fac ab ipsa, & spiritum tuæ spiritualis lætitiæ illi tribue.

Bone Iesu, animæ eius parce malis, criminibus & peccatis: visita istum infirmum, ægrotum cura, languidum sana.

Domine Iesu, da illi cor, quod timeat te; sensum, qui intelligat te, & oculos spirituales, qui videant te.

Domine Iesu, miserere illi, & de sede maiestatis tuæ clementer respice, & animæ eius tenebras tui splendoris radio illumina.

Clementissime Domine Iesu à te peccatorum eius remissionem humiliter

liter petimus, à quo & per quem eſt omnis propitiatio.

Sancta & immaculata virgo Maria Domini noſtri Ieſu Chriſti mater, te obnixè deprecamur, quatenùs pro anima huius ſerui tui interuenire digneris apud illum, cuius templum effici meruiſti.

Sancte Michael, ſancte Gabriel, ſancte Raphael, ſancte Angele cuſtos eius, cum omnibus choris Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Sacerdotum, Leuitarum, Eremitarum, Doctorum, Monachorum, Virginum, omniumq. iuſtorum, per eximium Domini noſtri Ieſu Chriſti amorem, qui vos elegit, de cuius contemplatione gaudetis, vos orare præſumimus, vt pro huius fratris noſtri vel ſororis noſtræ anima ſupplicare dignemini, vt de diaboli faucibus, & de morte perpetua liberari mereatur.

Domine Ieſu, perpetuam vitam ſecundùm magnam miſericordiam tuam ei largiri digneris.

O clementiſsime Domine Ieſu, qui omnium miſereris, famulum tuum à tua miſericordia fieri alienum non patiaris; quatenùs in ſacratiſsimæ paſsionis tuæ merito, ab omnibus peccatis ſuis abluatur, & tecum æternaliter in beatiſsimo cœlorum regno glorietur. Amen.

Orationes dicendæ in agone mortis ad beatiſſimam ſemper virginem Dei genitricem Mariam.

Oremus. Oratio.

MEdiatrix Dei & hominum & fons miſericordiæ, indeſinenter effundens riuos copioſæ gratiæ, Maria, te rogo dulciſsima Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti, per illam perturbationem, quam habuiſti in corde tuo pijſsimo tunc & deinceps cùm Simeon ſanctus & ſenex prophetando diceret: tuam ipſius animam pertranſibit gladius; vt petas quatenùs idem benedictus filius tuus de largiſsima clementia ſua donet huic famulo tuo per eandem perturbationem tuam indulgentiam omnium peccatorum ſuorum; & vt eum liberet ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris. Amen.

Oremus. Oratio.

AVxiliatrix Dei & hominum, & pacis æternæ condimentum Maria, te interpello ſpecioſiſsima Regina cœli, per illam doloroſam perturbationem, quam habuiſti in corde tuo benigniſsimo, cùm filium tuum amantiſsimum per triduum amiſiſti: vt roges eum, quatenùs ipſe propter eandem turbationem tuam, huic famulo tuo dignetur dare plenam cognitionem, perfectam contritionem, puram confeſsionem, ſpem firmam, certam ſecuritatem à Deo nunquàm ſeparari, & ita perfectum & verum amorem, vt cum illo amore tantã mereatur mercedem

cedem in coelo acquirere; ac si ei multis annis cum perfectione sanctissimæ vitæ diligentiùs seruiuisset. Amen.

Oremus: Oratio.

O Maria beatissima, propter illius terroris commotionem, quo cor tuum contremuit, quando filium tuum dulcissimum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei viui ab impijs captum, ligatum, ad supplicia tractum, & ab omnibus derelictum audisti: adiuua nunc seruum tuum in extremis laborantem, vt de præteritis delictis veram contritionem habeat & dolorem, & cor illius illustratũ superno splendore sit in feruida pœnitentia, ne fortè in hoc obitu suo in occursu aduersarij paueat, aut in aduentu tremendi iudicis accusante conscientia contremiscat: sed potiùs precibus tuis interuenientibus, ipsius faciem in iubilo videns delectetur. Amen.

Oremus. Oratio.

REparatrix debilium & vulneratæ animæ efficacissima medicina Maria, te peto gloriosa Domina per eandem perturbationem, quam tunc habuisti in clementissimo corde tuo, cùm perfidi Iudæi comprehenderunt & detinuerunt desiderabilem vnigenitum vteri tui filium, de quo in spiritu cognoueras, quòd pro salute humani generis pati volebat & debebat: quatenùs depreceris eundem filium propitiatorem seculi, vt ipse propter eandem turbationem tuam, de omni captiuitate, & ab omni tribulatione corporis, & animæ angustiarum & periculorum, & tentationibus dæmonum famulum tuum clementer eripiat, & ab omnibus malis in perpetuum tueatur. Amen.

Oremus. Oratio.

O Virgo dulcissima Dei genitrix Maria, propter planctus & lacrymas, quibus afficiebaris, quando filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei vidisti Præsidi præsentari, ab iniquis innocentem accusari, & opprobrijs affici, impetra huic famulo tuo lacrymarum gratiam, & sacræ fidei indelebile lumen, quo offensionis maculas abluere valeat. Et tu mater gloriosa eum nunc adiuua, ne satanas ei illudere possit, ac diuersis tentationibus pro libito suo flagellare, deuictumq. reum statuere terribili iudici, sed potiùs seipsum in lumine fidei iudicet in præsenti, ac disciplinis veræ pœnitentiæ deuotè flagellet. Amen.

Oremus. Oratio.

O Maria suauissima Dei genitrix ob cruciatus & angustias, quas sustinuit cor tuum, quando filius tuus Dominus noster Iesus Christus Filius Dei viui clamantibus Iudæis, crucifige, crucifige, morti adiudicatus, & crucis supplicio condemnatus est: subueni pijssima mater huic seruo tuo in extremis laboranti, quia corpus illius dolore infirmitatis torquetur, & anima hinc per dæmonum insidias, hinc per terrorem districtæ discussionis angustiatur. Subueni, inquam, suauissima Domina, ne æternæ mortis sententia contra illum feratur, aut

flam-

flammis æternalibus tradatur perpetuò cruciandus: verùm te pro ipso intercedente, ad cœlestem gloriam potiùs peruenire mereatur. Amen.

Oremus. Oratio.

ILluminatrix cæcorum & lucerna salutiferæ gratiæ Maria, te flagito dulcissima bona Mater Dei, per illam turbationem tuam, quam habuisti in corde tuo propitiatissimo quando amantissimus filius tuus à Iudæis crudelissimis in conspectu tuo clauis acutissimis absque vlla miseratione viuificæ crucis patibulo fuit affixus; vt postules ab eodem filio tuo, vt per eandem turbationem tuam, ignem veri amoris, ignem amoris & passionis suæ in corde huius famuli tui accendat: quo ipse summus Sacerdos ligno crucis ipsum subijciat, nutriat, & in altari cordis eius iugiter ardeat & flammescat: & vt in commemoratione suæ sanctissimæ passionis & mortis, eiusdem sacratissimæ passionis suæ non obliuiscatur. Et si ex infirmitate valida, vel ex alia causa quacunque impediente memor esse nequiuerit; per eundem acerbæ passionis suæ dolorem, in hora mortis suæ, ex multiplici misericordia sua tantam mercedem in cœlis percipere mereatur, ac si omnes dies suos consumpsisset in memoria suæ sacratissimæ passionis. Amen.

Oremus. Oratio.

O Virgo clemẽtissima Dei genitrix Maria, ob illius doloris gladium, qui tuam felicissimam animam pertransiuit, quando cernebas filium tuum dilectissimũ Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei viui nudum in cruce leuatum, clauis perforatum, cruore perfusum, ac plagis & vulneribus laceratum: Adiuua nunc beatissima Domina animam huius famuli tui, vt compassionis gladius eam perfodiat, diuini timoris & amoris lancea vulneret: ita vt omnis peccati sanguis noxius à pectore effluat, atque à vitijs mundetur, & diuinis virtutibus decoretur: quatenùs desiderio & toto affectu terrena despiciens, ad cœlestia subleuetur, ad quæ te deducente cum iubilo peruenire mereatur. Amen.

Oremus. Oratio.

O Maria virgo sanctissima ob tormentum & grauamen, quod cor tuum sustinuit, quando filium tuum sanctissimum Dominum nostrum Iesum Christum Filiũ Dei viui præ dolore voce magna clamantem, te matrem dilectam Ioanni commendantem, deficientemq́. attendebas, ita vt nimio doloris gladio loqui non posses: subueni ô gloriosa Domina famulo tuo nunc, quia lingua eius ad te inuocandum se mouere non potest, oculi eius lumine priuantur, aures eius surdescunt & obturantur, omnesq́. vires ac sensus deficiunt.

O pijssima mater exaudi preces nostras, quas ad aures tuæ pietatis fundimus; & subueni huic famulo tuo in hoc obitu suo, ac suauissimo filio tuo eius spiritum commenda; vt tuo pio interuentu à terroribus & tormentis liberatus, ad desideratam cœlestis patriæ requiem te comitante gaudens peruenire mereatur. Amen.

Ore-

Oremus. Oratio.

ADuocatrix omnium peccatorum, quos damnabiliter moles vitiorum deprimit, finisq. nostræ miseriæ Maria, te deprecor venerabilissima mundi Domina, per illam intolerabilem turbationem, quam habuisti in corde tuo benignissimo, in illa hora cùm filius tuus cunctis desideratus gentibus, ac omnibus verè amabilis, de cruce depositus cum recentibus vulneribus & proprio sanguine rubricatus, datus fuit à Ioseph in sinum tuum, qui est corona iucunditatis omnium beatorum in cœli solio; vt propter eandem perturbationem tuam, ipse famulum suum præuenire dignetur abundantia gratiarum suarum, & copiosæ misericordiæ suæ, vt det corpus suum & animam suam in potestatem tuam, & in sinum pijssimæ misericordiæ tuæ, quam cunctis deuotè postulantibus clementer aperis in æternum. Et ad illum sinum gemebundum sic eum recipi affectuosissimè deprecor, propter illum dulcissimum infantulum tuum candidum & rubicundum, electum ex millibus: qui thesaurus totius felicitatis tuæ existit: quem in sinu tuo delicatissimo proprijs lactasti vberibus, vt in præsenti vita, & præcipuè in extremis suis te videre mereatur cum gaudio, & tuæ miserationi gratias agere valeat in secula seculorum. Amen.

Oremus. Oratio.

O Maria virgo castissima decus & corona virginum, ob acerbi eiulatus planctum, quem de profundo pectoris erumpentem abscondere non valebas, quando in amplexus filij tui de cruce depositi ruebas, cuius genas ante nitentes & ora mortis palloribus perfusa conspiciebas: auxiliare suauissima mater huic seruo tuo, quatenus de delictis commissis sic doleat, vt anima eius mellifluis osculis & charis amplexibus Domini nostri Iesu Christi in beatorum regno fruatur. Amen.

Oremus. Oratio.

O Maria virgo gloriosissima ob singultus & suspiria indicibiliaq. lamenta, quibus afficiebatur virgineum cor tuum, quando cernebas filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei viui, animæ tuæ vnicum solatium sepeliri: adiuua ò sacratissima mater, animā serui tui in hac lacrymarum valle laborātem, vt cùm de corpore egressa fuerit, tuis suffragantibus meritis cum corusco charitatis lumine te comitante Domino nostro Iesu Christo glorificanda præsentetur. Amen.

Oremus. Oratio.

O Intemerata & in æternum benedicta virgo Maria, omnis angustiæ & miseriæ adiutrix, famulo tuo succurre dulciter, & tuam gloriosam faciem ostende illi in hac vltima necessitate sua, & omnes inimicos eius virtute suauissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi & sanctæ crucis disperde; & à potente dracone infernali, & ab eius horribili visione, & ab omni fraude malorum spirituum defende & protege famulum tuum, & ab omni angustia libera eum, quatenus tecum cum

beatis ſpiritibus Domino Deo in cœlorum beatiſsimo regno laudes perſoluat ſpirituales. Amen.

Ad ſanctum Michaelem Archangelum Oratio.

SAncte Michael Archangele huic animæ ſuccurre apud altiſſimum iudicem. O inuictiſſime pugil, aſſiſte nunc huic famulo Dei fratri, vel ſorori, noſtro in extremis laboranti, & eum potenter à dracone infernali defende, & à viſione, ac ab omni fraude ſpirituum malignorum.

Inſuper exoramus te præclarum ſigniferum cœleſtis militiæ, vt in hac extrema hora vitæ ipſius fratris, vel ſororis, noſtri, animam eius benignè ſuſcipias, ac ſuauiter in ſinum tuum recipias: illamq. in locum refrigerij, lucis, pacis & quietis perducas, cum Domino Ieſu Chriſto æternaliter regnaturam. Amen.

Ad proprium Angelum.

O Sancte Angele Dei, ab eodem huic famulo tuo in cuſtodem, in protectorem & gubernatorem aſſignate, quas gratias poſſumus tibi dignas, vel ipſe per ſe, vel nos pro illo tuis beneficijs agere? qui à tam multis periculis illum præſeruaſti, tanto tempore protexiſti, tantoq. tempore ei ſalutaria procuraſti. Profectò nullas poſſumus dignas: beneficia enim Dei excedunt. Oramus tamen humiliter de omnibus huius infirmi negligentijs, irreuerentijs, atque inobedientijs veniam illi ſupplicantes, vt qui tanto tempore indefeſſus eius ſalutem procuraſti, in hac vltima neceſſitate illum non deſeras, ſed ab omni formidine, ab omni puſillanimitate, ab omnibus hoſtium inſidijs, ab omni tentatione, & ab omni malo illum protegas ac liberes.

Aſta ei nunc fideliſſimus amicus & cuſtos, quia præter te non habet alium, qui ſui curam gerat, qui ſe defendat, quive ſuam zeletur ſalutem. Non illum deſeras, donec reconciliatum Deo offeras in miſericordia & non in iudicio. Eia cuſtos omnium fideliſſime, lucretur nunc per te Chriſtus hanc animam, à qua non ceſſes, donec compuncta, contrita, atque à Deo in ſui gratiam recepta confirmetur, qui ſit benedictus in ſecula. Amen.

Oratio oblationis Chriſti & meritorum eius ad Patrem.

OMnipotens clementiſſime Pater, omnes pœnas & dolores, opprobria & verbera, iniurias, conuitia & contumelias, omnes aduerſitates, incommoda & labores, quæ vnigenitus tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus agnus immaculatus in ſuo corpore ſuſtinuit propter me: omnes etiam artus & ſingula membra eius propter me afflicta, ſanguinem eius propter me effuſum & pedibus conculcatum: animam quoque eius nobiliſſimam & pijſſimam propter me à dilecto corpore ſeparatam: virtutes etiam & merita eius infinita: item vires animæ & corporis eius, & omnia in eo vitalia propter me in mortem tradita, & nihilominus inſeparabiliter diuinitati vnita, imò ipſum Chriſtum totum bene-

benedictum filium tuum Deum & hominem, omnipotentem & infirmum, despectum & gloriosum, miracula facientem & in cruce pendentem, tibi offero in expiationem & satisfactionem omnium peccatorum meorum, atque totius mundi, & in mortificationem atque extinctionem malarum omnium passionum, affectionum ac vitiorum meorum, in suppletionem omnium negligentiarum mearum, & in laudem & gratiarum actionem omnium beneficiorum tuorum. Deus propitius esto mihi miserrimo peccatori propter illum miserere mei ob amorem Iesu Christi dilecti filij tui. Amen.

Alia oratio ad Filium.

O Amator fidelissime misericordissime Domine Iesu Christe, da mihi, vt ex corde & animo sentiam quod dico: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, sita desiderat anima mea ad te Deus. *Psal. 41.*
Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. *Psal. 83.* Beati qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te. *Ibidem.* Sitiuit anima mea ad te Deus, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? *Psal. 41. & 62.* Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei & Deus meus. *Psal. 41. & 42.* Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua: Domine non confundar in æternum quoniam inuocaui te. *Psal. 30.* Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice. *Psal. 70.* Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. *Psal. 9.* Tu es refugium à tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea erue me à circumdantibus me. *Psal. 31.* Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ. *Psal. 37.* Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu, adiutor meus & protector meus. *Psal. 30.* Ne igitur derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. *Psal. 26.* Ecce venio ad te, quem despexi & offendi Deus meus, quia misericordia tua plena est omnis terra. Ad misericordissimum igitur te patrem confugio: suscipe me secundum eloquium tuum, quo dicis: Nolo mortem peccatoris; & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Pro vita temporali non rogo Deus meus; sed te, qui es vita æterna, in animam meam inuoco. Heu dulcis amator, heu Domine Deus meus quòd sæpe offendi te: quòd tuas inspirationes & monita neglexi: quòd vnquam aliud præter te aut extra te amaui, pro hoc doleo Domine Deus: atque vtinam des mihi, vt ex toto corde meo doleam, & lugeam per omnia momenta vitæ meæ. Vtinam omnes sanguinis mei guttas cum lacrymis præ dolore & amore in suauissimum cor tuum tibi profundere & offerre possem. Dulcis Iesu, neque vitam, neque mortem, sed tuum beneplacitum desidero & expecto: fiat mihi secundum voluntatem tuam. Si vis vt moriar, dulcis Iesu, suscipe spiritum meum: & licet ad vesperam venerim omnium nouissimus, da mihi vt tecum & in te requiem accipiam sempiternam. Si verò vis vt diutiùs viuam, dulcis Iesu, hoc propono, & pro hoc gratiæ tuæ suffragium

rogo, reliquum vitæ meæ corrigere atque in holocaustum tibi totum offerre in gloriam tuam, & secundùm beneplacitum tuum. O desiderabilissime Iesu, quia vitam meam in peccatis consumpsi, ad contumeliam nominis tui gloriosi, nec tibi hactenùs seruire cœpi: da mihi vt vel nunc perfectè incipiam, & omnes vires animæ & corporis mei; omneq. residuum vitæ tempus mihi abs te concedendum, in gloriam & secundùm optimam ac perfectissimam voluntatem tuam expendam. Misericordissime Iesu adesto mihi propitius in his pœnis ac miserijs quibus teneor, & si quæ grauiores super me venerint, quia & grauiora & grauissima commerui pro peccatis meis, fac vt patientissimè tolerem. Dulcis Iesu, si nihil vnquàm deliquissem, aut nihil mali apud te commeruissem: nihilominus ad gloriam tuam, & in tui amorem ac beneplacitum in has, & in quaslibet alias pœnas me tibi pro tua voluntate offero atque resigno: non in mea virtute, sed in misericordiarum tuarum multitudine quibus innitor, & quas inuoco, vt fragilitatem carnis meæ, pusillanimitatem ac instabilitatem spiritus mei tua virtute erigas, longanimitate confortes, ac patientia robores, vt nulla aduersitate aut tentatione victus succumbam, nulla pusillanimitate deficiam: sed amoris tui æstuantissimo incendio absorptus, ad te solum suspirem, ad te sitiente corde anhelem: te solum cogitem, te solum desiderem, & mundum cum vniuersis quæ in eo sunt, relinquam, fastidiam & contemnam: tibi verò pro omnibus & lætis & tristibus ex toto corde gratias agam.

Amabilissime Iesu te eligo, te opto, te desidero, tibi occurro, atque omni, quod tu non es, abrenuntio: quicquid vis, volo: quicquid non vis, nolo: quicquid execraris, auersor. Et si aliud huic voluntati contrarium mihi vnquam inciderit: rogo te, Deus meus, non imputes mihi: neque secundùm illud, sed secundùm hanc animi mei electionem iudices me: quia & omnibus quæ nolle debeo, contradico: & si etiam (quod misericordia tua auertat) posthac victus consentirem, nunc tamen execror & detestor.

Amabilissime Iesu, si tibi placet, & ad gloriam tuam fuerit, da mihi in hac vita à peccatis & pœnis omnibus (in quæ post mortem alioqui venire deberem, aut quibus obnoxius essem) præseruari, vt animam meam per manus misericordiæ tuæ, immediatè de hac vita ad gaudia recipias sempiterna.

Domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum. Amen.

Tres piæ & vtiles morientibus orationes, cum tribus Pater noſter, & tribus Aue Maria, in agone mortis deuotè recitandæ.

Primò dicitur Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. Aue Maria.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte per tuam ſanctiſsimam agoniam & orationem, qua oraſti pro nobis in monte Oliueti, quando factus eſt ſudor tuus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram: obſecro te, vt multitudinem ſudoris tui ſanguinei, quem præ timoris anguſtia copioſiſsimè pro nobis effudiſti, offerre & obtendere digneris Deo Patri omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum huius famuli tui N. & libera eum in hac hora mortis ſuæ ab omnibus pœnis & anguſtijs, quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Secundò dicitur Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. Aue Maria.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui pro nobis mori dignatus es in cruce, obſecro te, vt omnes amaritudines paſsionum & pœnarum tuarũ, quas pro nobis miſeris peccatoribus ſuſtinuiſti in cruce, maximè in illa hora quando ſanctiſsima anima tua egreſſa eſt de ſanctiſsimo corpore tuo, offerre & obtendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima huius famuli tui N. & libera eum in hac hora mortis ab omnibus pœnis & paſsionibus, quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus, in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Tertiò dicitur Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. Aue Maria.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui per os Prophetæ dixiſti: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans: obſecro te, vt eandem charitatem tuam, quæ te de cœlis in terram ad tolerandas omnium paſſionũ tuarum amaritudines attraxit, offerre & obtendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima huius famuli tui N. & libera eum ab omnibus paſſionibus & pœnis, quas pro peccatis ſuis timet ſe meruiſſe, & ſalua animam eius in hac hora exitus ſui. Aperi ei ianuam vitæ, & fac eam gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu pijſſime Domine Ieſu Chriſte, qui redemiſti nos pretioſiſſimo ſanguine tuo, miſerere animæ huius famuli tui, & eam introducere digneris ad ſemper virentia & amœna loca paradiſi, vt viuat tibi amore indiuiſibili, qui à te & ab electis tuis nunquàm ſeparari poteſt. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

In expiratione.

Cum verò tempus expirandi institerit, vt cùm moriens singultire, seu anhelare incipit aut rigere, tunc maximè ab omnibus circumstantibus flexis genibus vehementer orationi instandum est. Ipse verò moriens, si potest, dicat, vel si non potest, assistens siue Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet:

IESV, IESV, IESV.

Quod & ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat.

Item, IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.

Item, In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Item, Domine Iesu suscipe spiritum meum.

Item, Sancta Maria ora pro me.

Item, Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hac hora mortis suscipe.

Tunc iuxta piam aliquarum Ecclesiarum consuetudinem pulsetur solita campana parochialis Ecclesiæ aliquibus ictibus, ad significandam fidelibus in Vrbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus instantem mortem expirantis ægroti, vt pro eo Deum rogare possint.

Post egressum animæ de corpore.

Egressa autem anima mox dicatur sequens Responsorium.

℟. Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini; suscipientes animam eius; offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te.

℟. Suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei.

℟. Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Deinde:

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster. secretò.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animam eius.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui N. vt defunctus ſeculo tibi viuat; & quæ per fragilitatem humanæ conuerſationis peccata commiſit; tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus: Alia Oratio.

COmmendamus tibi Domine animam famuli tui in manibus ſanctorum Abrahæ, Iſaac & Iacob,& omnium Patriarcharum. Commendamus tibi Domine animam famuli tui in manibus ſanctorum Iſaiæ, Hieremiæ, & omnium Prophetarum. Commendamus tibi Domine animam famuli tui in manibus ſanctorum Petri,& Pauli, & Ioannis, & omnium Apoſtolorum. Commendamus tibi Domine animam famuli tui in manibus ſanctorum Stephani,Laurentij, Vincentij, Sauini,Georgij, Sebaſtiani, & omnium Martyrum. Commendamus tibi Domine animam famuli tui in manibus ſanctorum Silueſtri, Leonis,Martini,& omnium Confeſſorum. Commendamus tibi Domine animam famuli tui in manibus ſanctorum Antonij, Benedicti, Aegidij,& omnium ſanctorum Monachorum. Commendamus tibi Domine animam famuli tui in manibus ſanctarum virginum Mariæ matris Domini, Agnetis, Cæciliæ, Agathæ, & Catharinæ & N. omnium Virginum tuarum. Commendamus in manus tuas Domine ſpiritum famuli tui, ne princeps ei noceat tenebrarum: ſed tu Domine miſericorditer eum protegas in omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Poſt expirationem defuncti accurratur ad Eccleſias,Monaſteria,& pia loca, vt pro eius anima orationes & deprecationes fiant; etſi de manè & congrua hora fuerit, Miſſæ de Requiem celebrentur, aut ſaltem collectæ fiant, atque eis & Chriſti pauperibus eleemoſynæ pro viribus hæreditatis & pietate ſuorum liberaliter erogentur.

Tunc quoque pulſetur ad ſignum tranſitus defuncti vna campana tribus vicibus pro viro, pro muliere verò duabus, modico interiecto ſpatio inter ipſas pulſationes: vel etiam pluribus vicibus, vt pro inſigni viro aut Sacerdote vel Prælato ſeptem aut nouem, aut aliàs iuxta laudabiles conſuetudines diuerſarum Eccleſiarum campana pulſetur, vt audientes ad Dominum conuerſi, pro anima defuncti illum humiliter deprecentur.

Tunc lauetur corpus, & induatur veſtibus pro qualitate perſonæ ſexui, gradui, officio & ordini congruentibus: ita vt ſi ſint clerici ſeculares, cum ſuperpelliceis, veſtibus ſacris, vel paramentis ordinibus minoribus vel maioribus, in quibus conſtituti fuerint,conuenientibus. Si verò regulares, in habitu regulari tantùm, ſecundum proprium cuiuſque Religionis inſtitutum,& ponantur in loco ad id parato.

Presbyter quidem secularis, & qui simili habitu vtitur religiosus, induatur omnibus suis paramentis ad Missam celebrandam ordinatis, videlicet amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & casula seu planeta; & ponatur in terra super aliquem pannum siue tapetum, vel etiam feretrum, cum cruce à capite, & duobus candelabris accensis hinc inde, & duobus alijs similibus à pedibus, tenens præ manibus calicem subiecta patena de more: & ita deinde in feretro positus efferatur ad sepulturam.

Sciant autem Sacerdotes & ij quorum interest, quod si defunctus sit Episcopus, induitur omnibus communibus seu quotidianis vestibus & rochetto, vel superpelliceo, si Episcopus est regularis, & desuper toto vestitu Sacerdotali violacei coloris, sicut esset in Pontificalibus Missam celebraturus, videlicet caligis, sandalijs, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola, manipulo, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta, & imponitur ei anulus & mitra simplex in capite, & super eius pectus aliqua crux, quam suis manibus teneat.

Si verò sit Archiepiscopus siue Metropolitanus aut Patriarcha, similiter vt Episcopus vestitur omnibus prædictis indumentis Pontificalibus, tanquam si esset solenniter celebraturus. Sed insuper si decesserit in sua Ecclesia diœcesi vel Prouincia, imponitur humeris eius pallium, quod post eius promotionem de corpore B. Petri sumptum, à sancta Sede Apostolica acceperat; quod cum eo sepelitur, & nulli alij vsui esse potest. Et si propter aliam Ecclesiam vel alias Ecclesias, quibus antea præfuisset, habuerit plura pallia, vnum quod ratione nouissimæ Ecclesiæ habuerit, superimponetur ei defuncto, aliud vel alia ponentur sub eius capite, plicata tamen.

Sin autem extra suam Ecclesiam, diœcesim vel Prouinciam obierit, non superimponetur pallium aliquod humeris eius, sed siue reliquerit vnum, siue plura, omnia plicabuntur, & plicata sub ipsius capite ponentur.

Ita prædicti Præsules defuncti, aut aliter iuxta consuetudinem suarum Ecclesiarum induantur. Cardinales autem S. R. E. cuiusque Ordinis Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, iuxta præscriptum modum in primo libro Cœremoniarum, defuncti vestiuntur, efferuntur & sepeliuntur.

Si defunctus fuerit Prælatus, domi suæ vbi fuerit corpus, conueniant clerici ad dicendas vigilias defunctorum cum inuitatorio, tribus nocturnis & laudibus duplicando antiphonas, vt in ordinario.

Quæ vigiliæ in alijs clericis, dicantur per clericos delato corpore in Ecclesiam: deinde celebretur, si opportunum fuerit, Missa de Requiem: qua expleta fiat officium sepulturæ vt infrà.

Quòd si defunctus sit Sacerdos seu Prælatus, in oratione vbi nominatur defunctus, addatur semper nomen Sacerdotij seu dignitatis in qua existit.

Postea

Postea Sacerdos vocatis clericis seu fratribus qui adsunt, incipiat, absolutè dicendo:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. secretò.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. In memoria æterna erit iustus.

℟. Ab auditione mala non timebit.

℣. Ne tradas bestijs animam confitentem tibi.

℟. Et animam pauperis tui ne obliuiscaris in finem.

℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine.

℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animam eius.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

SVscipe Domine animam serui tui ad te reuertentem, & veste cœlesti indue eam; sancto fonte vitæ æternæ pota eam, vt inter gaudentes gaudeat, & inter sapientes sapiat: & inter Martyres Christi coronam accipiat, inter Patriarchas & Prophetas perficiatur, & inter Apostolos Christum sequi valeat; inter Angelos & Archangelos claritatem Dei videat, & inter paradisi rutilos lapides gaudium possideat, & notitiam ministrorum Dei agnoscat; & inter Cherubim & Seraphim claritatem Dei conspiciat, & inter vigintiquatuor seniores Cantica canticorum audiat: & inter lauantes stolas suas in fonte luminis, vestem lauet: & inter pulsantes portas cœlestis Hierusalem apertas reperiat, & inter videntes Deum facie ad faciem ipsum videat: & inter canentes canticum nouum cantet, & inter audientes dulcedinem cœlestis sonitus audiat. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De Vesperis mortuorum.

Qua oratione dicta, dicantur Vesperæ mortuorum, si die sequenti non fuerit Dominica, vel festum duplex: & duplicantur Antiphonæ: & in fine dicantur infrascriptæ orationes. Si verò die sequenti fuerit dies Dominica, vel festum duplex, omittuntur quidem vesperæ; sed non orationes.

Ad Vesperas absolutè incipitur.

Antiphona. Placebo Domino in regione viuorum. Psalmus CXIIII.

DIlexi, quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.

Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.

Cir-

Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.
Tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.
O Domine libera animam meam: misericors Dominus,& iustus,& Deus noster miseretur.
Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum, & liberauit me.
Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.
Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.
Placebo Domino: in regione viuorum.
Requiem æternam,dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Sic dicitur in fine omnium Psalmorum, & repetitur Antiphona. Placebo Domino in regione viuorum. Sic in sequentibus.
Antiphona. Hei mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus est. Psalmus. Ad Dominum cùm tribularer clamaui,&c. suprà pag. 349.
Antiphona. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus. Psalmus. Leuaui oculos meos in montes, &c. suprà pag. ead.
Antiphona. Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit? Psalm. De profundis clamaui ad te Domine,&c. suprà pag. 351.
Antiphona. Opera manuum tuarum Domine ne despicias.

Psalmus CXXXVII.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.
In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.
Super misericordia tua,& veritate tua: quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.
In quacunque die inuocauero te,exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.
Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.
Et cantent in vijs Domini: quoniam magna est gloria Domini.
Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longe cognoscit.
Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.
Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in seculum: opera manuum tuarum ne despicias.
Requiem æternam, dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.
Ad Magnificat Antiphona. Omne quod dat mihi Pater ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras.
Deinde flexis genibus Pater noster. secretò.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. A por-

℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam eius; vel eorum, si sunt plures defuncti.
℣. Requiescat in pace, vel Requiescant, si sint plures.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

SVscipe Domine animam famuli tui N. quam de ergastulo huius seculi vocare dignatus es: & libera eam de locis pœnarum: vt quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter Sanctos & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, vt in resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos eum resuscitari præcipias. Per Dominum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

DEus cui soli competit medicinam præstare post mortem; tribue quæsumus, vt anima famuli tui N. terrenis exuta contagijs, in tuæ redemptionis parte numeretur. Per Dominum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

PArtem beatæ resurrectionis obtineat Domine anima famuli tui N. vitamq. æternam habere mereatur in cœlis, per te Iesu Christe Saluator mundi: qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas. ℟. Amen.


℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

Vel loco istarum quatuor orationum dicatur vna, quæ habetur in Missali in die obitus seu depositionis defuncti.

DEus cui proprium est misereri semper & parcere: te supplices exoramus, pro anima famuli tui N. quam de hoc seculo hodie migrare iussisti: vt non tradas eam in manibus inimici, neque obliuiscaris in finem; sed iubeas eam à sanctis Angelis suscipi, & ad patriam paradisi perduci: vt quia in te sperauit & credidit, non pœnas æternas sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Dominum nostrum, &c.
℟. Amen.
℣. Requiem æternam dona ei Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

Si fuerint plures defuncti, prædictæ orationes dicantur in numero plurali.

DE OFFICIO SEPVLTVRAE.



Nimaduertat Sacerdos quòd omnes infrascriptæ personæ Ecclesiastica sepultura priuantur, Iudæi, Pagani, Ethnici, Gentiles, Mahumetani, & infideles omnes; Hæretici, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum; & à Christiana fide apostatæ, schismatici, & excommunicati præsertim publicè denunciati; & qui manus violentas publicè in clericos, & personas Ecclesiasticas iniecerunt; generaliter, vel specialiter interdicti; non confitentes, & non communicantes semel in anno saltem in Pascha; Vsurarij manifesti, publici blasphematores, raptores; Et qui in notorio peccato mortali, vel aliàs impœnitentes decedunt; Morientes in duello, & torneamentis; qui ferro, aut veneno, aut præcipitio, aut suspendio, aut quolibet alio modo mortem sibi ipsis inferunt violentam, aut aliter ex desperatione se occidunt, nisi ex furore vel insania id accidat: Monachi, vel Fratres proprietarij; corpora truculenter exenterata, vel aquis decocta, vel membratim, & in frusta concisa, secundum extrauagantem Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit: Detestandæ feritatis abusum: & postremò ij, quibus viuentibus interdictus est ingressus Ecclesiæ. Quorum corpora, aut ossa si de facto sepulta fuerint, exhumari debent, quando discerni possunt ab alijs, & Ecclesia, vel cœmeterium, vbi sepulti erant reconciliari. Mortua muliere grauida, si fœtus iam animatus extrahatur mortuus, non debet cum matre sepeliri; si verò non sit extractus, sed in ventre mortuus, relinquitur cum matre sepeliendus: & si in loco vbi sepulta est cum fœtu non baptizato consecranda est Ecclesia, ea inde non eiecta, Ecclesia poterit consecrari.

Caueat deinde Parochus, vel quicunque alij clerici seculares, vel regulares, ne contra Constitutionem eiusdem Bonifacij VIII. quæ incipit: Animarum periculis. & Clementis Papæ V. quæ incipit: Cupientes Romanorum Pontificum. aliquos ad vouendum, vel iurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel iam electam vlteriùs non immutent, neve pactum de sepultura, & funeralibus cum hæredibus ineant.

Pro sepulturis & exequijs mortuorum pecunias indebitè & immoderatè non exigant aut extorqueant, quod non licet: sed iura tantùm parochialia, & quæ iuxta laudabilem consuetudinem, pia fidelium deuotione introductam, debentur, post humatum corpus, quæ poterunt benignitate & pietate accipiant.

Pauperes verò, & destitutos gratis, ac etiam propria impensa, si opus fuerit, sepeliant.

Quando corpus fuerit præsens in Ecclesia, quouis tempore poterit Missa pro defunctis celebrari, nisi in Parasceue: tunc enim non debet corpus tumulari, nec Missa pro eo cantari, quia tunc corpus Christi immolari non debet: sed vsque in crastinum reseruetur, & tunc scilicet in Sabbato potest Missa pro eo cantari, & corpus sepeliri.

Similiter si quis in die Paschæ moriatur, corpus eius vsque in crastinum reseruetur super terram, & tunc cum celebratione Missæ sepeliatur. Non enim debet corpus sepeliri absque Missa: quamuis contrarium fiat in plerisque locis.

Hoc loco prætermittendum non est Prælatos & parochos admonitos esse debere, vt Ecclesiasticæ sepulturæ maiorem curam gerant, & prohibeant secundum instituta maiorum, ne omnes passim intra Ecclesias; sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ sepeliantur. Nullatenus autem intra Ecclesiam & prope altare, vbi corpus & sanguis Domini conficitur, vt statuerunt Patres Concilij Nannetensis.

Nam & idem antea in Concilio Bracarensi primo, decretum fuit vt corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam sanctorum sepeliantur: sed si necesse est de foris circa murum Basilicæ vsqueadeo non abhorret. Et in Concilio Moguntiaco primo

decla-

declaratum fuit, vt nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur: nisi Episcopi aut Abbates, vel fideles laici.

Et quidem iustis de causis, & propter honorem Dei, & eius sacræ domus decentiam & diuini cultus rationem, & ad tollendum fœtorem ex cadaueribus manantem, & ne propterea fideles ad confluendum in Ecclesiam auertantur. Sed quia eousque licentia, abusus & excessus de his sepulchris & monumentis progressa est, vt integro libro non satis sit eos explicare, prout à quopiam factum est: Ideo saltem curent restitui vsum veterum cœmeteriorum & sepulturarum in atrijs vel porticibus, & in claustris siue exedris Ecclesiarum & Monasteriorum, quod maximè desideratur.

Et insuper, quod ferè vbique seruatur, vt præter sepulturam Sacerdotum, & clericorum, quæ in presbyterio, vel ante altare siue in Choro esse debet; communes habeantur sepulturæ in Ecclesiæ nauibus vel in cœmeterio separatæ pro viris, & separatæ pro mulieribus; nisi coniugati fuerint, qui ex sententia beati Hieronymi, in vno sepulcro ponēdi videntur, exemplo sanctorum Patriarcharum, dum dicit, Ebron dicitur Ciuitas quatuor virorum, quia in ea sepulti sunt tres Patriarchæ in spelunca duplici, cum tribus vxoribus suis, idest Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia; præter ipsum Adam, & Euam vxorem suam. Et Tobias dicit ad filium suū. Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepelies, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: & cùm ipsa compleuerit tempus suum, sepelias eam iuxta me in vno sepulchro. Ibidem. Quos coniunxit vnum coniugium, coniungat vnum sepulchrum: quia vna caro sunt; & quos Deus coniunxit homo non separet. Et ex beato Augustino, dicente: Vnaquæque mulier sequatur virum suum, siue in vita, siue in morte.


S. Hieron. in epitaph. Paulæ.

9. Confess. c. 11.

Corpora defunctorum in Ecclesia vel cœmeterio ponenda sunt pro situ & loco, vt sint versa ad altare maius; vel si conduntur in Oratorijs vel Capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria. Presbyteri verò & Episcopi habeant caput repositum versus altare, & pedes versus populum. Et quantum fieri potest, curetur vt defunctus sepeliatur capite posito ad Occidentem, quasi pedes suos dirigat ad Orientem; vt & sic videatur de occasu festinare ad ortum, & de morte ad vitam.

In quocunque loco extra Ecclesiam vel cœmeterium Christianus sepeliatur, semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum fuisse Christianum, & ad expellendum inde diabolum, qui hoc signum valdè pertimescit, & ad eum locum, qui crucis signaculo est insignitus, horret accedere.

De delatione corporis ad Ecclesiam.



Onstituto igitur tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, conuocetur Clerus, qui funeri interesse debet etiam à vespera seu nocte præcedente, & omnes campanæ tàm parochialis, quàm alterius Ecclesiæ, ad quam deferendus est defunctus, pro viro ter, semel & iterum pro fœmina; pro insigni viro, aut Sacerdote vel Prælato septies, aut nouies, vel aliter iuxta consuetudines locorum, pari sono & ictu, vt suprà simul prolixiùs pulsentur.

Tunc si à Cathedrali aut parochiali, vel alia Ecclesia, ad quam funus defertur, ex consuetudine aut voluntate hæredum seu executorum testamenti, ab omnibus Confraternitatibus & Clero regulari & seculari simul eundum sit & ducenda processio ad accipiendum & deferendum mortuum, ijs simul congregatis ibidem fiat processio, & omnes ordi-

natim vadant, & cum silentio procedant ad funus: alioquin quælibet Confraternitas, Religio, & Clerus seorsum ire possunt ad domum defuncti, & ibi paululum morari, donec omnes conuenerint. Parochus autem indutus superpelliceo & stola nigri coloris, vel etiam pluuiali eiusdem coloris, pro consuetudine, aut si videbitur ratione loci vel personæ, alioquin sine eo, cum suo Clero ac alijs presbyteris & clericis qui adfuerint, præcedente cruce illius Ecclesiæ, ad quam corpus portandum est (quæ crux sola defertur) cùm ad domum defuncti peruenerit, ipse solus cum clerico deferente vas aquæ benedictæ, ingreditur locum vbi defunctus iacet, quem priùs aqua benedicta aspergit; deinde in linteo corpus defertur ad feretrum, ordinatur processio, procedunt Confraternitates laicales, tum deferens crucem, & sequitur Clerus regularis & secularis per ordinem: ac vltimo loco parochus vt suprà indutus, qui incipit Responsorium.

Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: suscipientes animam eius offerentes eam in conspectu Altissimi &c. suprà pag.406. & Clerus prosequitur vsque ad finem.

Deinde dicitur Psalmus CXIII.

IN exitu Israel de Aegypto: domus Iacob de populo barbaro.
Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israel potestas eius.
Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.
Montes exultauerunt vt arietes: & colles sicut agni ouium.
Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?
Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ouium.
A facie Domini mota est terra: à facie Dei Iacob.
Qui conuertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.
Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.
Super misericordia tua, & veritate tua: ne quando dicant gentes; vbi est Deus eorum?
Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunque voluit fecit.
Simulacra gentium argentum, & aurum: opera manuum hominum.
Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.
Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.
Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.
Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.
Domus Israel sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorũ est.
Domus Aaron sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.
Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.
Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.
Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus, qui timent Dominum: pusillis cum maioribus.
Adijciat Dominus super vos: super vos,& super filios vestros.
Benedicti vos à Domino: qui fecit cœlum, & terram.
Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filijs hominum.
Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum.
Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino: ex hoc,nunc, & vsque in seculum.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Et si tempus superest propter distantiam Ecclesiæ, ad quam sepeliendus defertur, dici poterunt Psalmi Graduales suprà pag.349. vel Psalm. Miserere mei Deus, &c. suprà pag.330. vel etiam Psalm. De profundis clamaui, &c. suprà pag.331. cum vers. Requiem æternam dona ei Domine. in fine cuiuslibet Psalmi.

Cùm verò peruenerint ad ipsam Ecclesiam, & corpus in eam introducitur, omnes eiusdem Ecclesiæ campanæ pari sono & ictu, vna vice tantùm, paulisper pulsantur, ad significandam defuncti sepulturam,vt ab audientibus fiat oratio ad Deum pro eo ad introitum regni cœlestis. Et feretrum sistitur in medio Ecclesiæ, ita vt pedes defuncti sint versus altare. Ingreditur Clerus & Confraternitates; ingrediantur etiam propinqui & familiares defuncti,atque omnes qui eius funus comitati sunt: sublata superstitione seu abusu de non ingrediendo Ecclesiam cum corpore defuncti, & facienda generali confessione, & accipienda absolutione foris in limine Ecclesiæ, & de redeundo per aliam viam: cùm posteà finito officio sepulturæ siue exequiarum si voluerint, ac eis magis commodum fuerit intra Ecclesiam in aliquo sacello seorsum, huiusmodi absolutio eis impendi possit à parocho siue alio Sacerdote, cum aspersione aquæ benedictæ: aut peractis exequijs, si malint, expectent parochum siue Sacerdotem domi, vbi ei hortationis officium mandatur vt faciat, infrà de visitatione domus defuncti pag.441.

Deposito igitur corpore cum feretro & cereis accensis circa illud in Ecclesia, si manè vel alia hora congruens fuerit,Sacerdotes & clerici præparent se ad cantandam Vigiliam seu Matutinum mortuorum: duplicantur Antiphonæ,& in fine cuiuslibet Psalmi dicitur,Requiem æternam dona ei Domine. in numero singulari: nisi plures essent defuncti, quia tunc dicitur in numero plurali, eis &c. Duo clerici incipiant absolutè sequens Inuitatorium, cùm funus sit præsens.

Regem cui omnia viuunt: Venite adoremus. Et repetitur. Regem.

Psalmus XCIIII.

VEnite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis iubilemus ei. Regem, cui omnia viuunt. Venite adoremus.

Quoniam Deus magnus Dominus: & rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam: quia in manu eius sunt

omnes

omnes fines terræ: & altitudines montium ipse conspicit. Venite adoremus.

Quoniam ipsius est mare: & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venite, adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Regem, cui omnia viuunt, Venite adoremus.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto: vbi tentauerunt me patres vestri: probauerunt, & viderunt opera mea. Venite adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: semper hi errant corde: ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Regem, cui omnia viuunt, Venite adoremus.

Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Venite adoremus. Regem cui omnia viuunt, Venite adoremus.

Et sic solenniter cantent totum Inuitatorium, & totam Vigiliam.

In primo Nocturno.

Antiphona. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.

Psalmus v.

Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ: rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo Domine: manè exaudies vocem meam.

Manè astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanginum, & dolosum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: iudica illos Deus.

Decidant à cogitationibus suis, secundùm impietatem eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: in æternùm exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnès, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto.

Domine,

Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ: coronasti nos.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Et repetitur Antiphona. Dirige Domine Deus meus,&c.
Antiphona. Conuertere Domine, & eripe animam meam; quoniam non est in morte, qui memor sit tui. Psalmus. Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me, &c. suprà pag. 328.
Et repetitur Antiphona. Conuertere Domine, &c.
Antiphona. Ne quando rapiat vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat. Psalmus VII.

Domine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.
Nequando rapiat vt leo animam meam: dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.
Domine Deus meus, si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.
Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.
Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat,& conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in puluerem deducat.
Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.
Et exurge Domine Deus meus in præcepto,quod mandasti: & synagoga populorum circundabit te.
Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.
Iudica me Domine secundùm iustitiam meam: & secundum innocentiam meam super me.
Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum: scrutans corda, & renes Deus.
Iustum adiutorium meum à Domino: qui saluos facit rectos corde.
Deus iudex iustus,fortis,& patiens: nunquid irascitur per singulos dies?
Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & parauit illum.
Et in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.
Ecce parturijt iniustitiam,concepit dolorem: & peperit iniquitatem.
Lacum aperuit,& effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.
Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.
Confitebor Domino secundùm iustitiam eius: & psallam nomini Domini altissimi.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Antiphona. Nequando rapiat vt leo animam meam &c.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
Deinde Sacerdos dicit Pater noster. totum secretò.

Lectiones autem in officio mortuorum leguntur sine absolutione, benedictionibus, & titulo: sed Lector eas absolutè incipit & terminat sine, Tu autem Domine miserere nobis.

Lectio prima. Iob 7.

PArce mihi Domine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subitò probas illum: Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam? Peccaui, quid faciam tibi ò custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce, nunc in puluere dormiam; & si manè me quæsieris, non subsistam. ℟. Credo quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum; & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. ℣. Quem visurus sum ego ipse & non alius; & oculi mei conspecturi sunt.
Et in carne mea.

Lectio ij. Iob 10.

TAedet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersùm me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita iudices. Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adiuues? Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo & tu videbis? Nunquid sicut dies hominis, dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim, cùm sit nemo, qui de manu tua possit eruere. ℟. Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum, Tu ei Domine dona requiem & locum indulgentiæ. ℣. Qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Tu ei Domine.

Lectio iij. Iob 10.

MAnus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu; & sic repentè præcipitas me? Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum. ℟. Domine quando veneris iudicare terram, vbi me abscondam à vultu iræ tuæ? Quia peccaui nimis in vita mea. ℣. Commissa mea Domine pauesco, & ante te erubesco: dum veneris iudicare, noli me condemnare. Quia peccaui nimis. ℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Quia peccaui.

In secundo Nocturno.

Antiphona. In loco pascuæ, ibi me collocauit. Psalmus xxii.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.
Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.
Deduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.

Nam,

Nam, etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.
Virga tua, & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.
Parasti in conspectu meo mensam: aduersùs eos, qui tribulant me.
Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quàm præclarus est.
Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.
Et vt inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Antiphona. In loco pascuæ, vt suprà.

Antiphona. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Psalmus XXIIII.

AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.
Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi, qui sustinent te, non confundentur.
Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.
Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.
Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Saluator meus, & te sustinui tota die.
Reminiscere miserationum tuarum Domine: & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.
Delicta iuuentutis meæ: & ignorantias meas ne memineris.
Secundùm misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.
Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.
Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.
Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas: requirentibus testamentum eius, & testimonia eius.
Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.
Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.
Anima eius in bonis demorabitur: & semen eius hæreditabit terram.
Firmamentum est Dominus timentibus eum: & testamentum ipsius vt manifestetur illis.
Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.
Respice in me, & miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego.
Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.
Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuersa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt: & odio iniquo oderunt me.
Custodi animam meam, & erue me: non erubescam, quoniam speraui in te.
Innocentes & recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.
Libera Deus, Israel: ex omnibus tribulationibus suis.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Antiphona. Delicta iuuentutis meæ &c.
Antiphona. Credo videre bona Domini in terra viuentium.
Psalmus XXVI.
Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo?
Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?
Dum appropiant super me nocentes: vt edant carnes meas.
Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.
Si consistant aduersùm me castra: non timebit cor meum.
Si exurgat aduersùm me prælium: in hoc ego sperabo.
Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
Vt videam voluntatem Domini: & visitem templum eius.
Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.
In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.
Circuiui,& immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Domino.
Exaudi Domine vocem meam,qua clamaui ad te: miserere mei & exaudi me.
Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.
Ne auertas faciem tuam à me: & ne declines in ira à seruo tuo.
Adiutor meus esto, ne derelinquas me: neque despicias me Deus salutaris meus.
Quoniam pater meus,& mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.
Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos.
Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.
Credo videre bona Domini: in terra viuentium.
Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Et repetitur Antiphona. Credo videre bona Domini &c.
℣. Collocet eum Dominus cum Principibus.
℟. Cum

℟. Cum principibus populi ſui.
℣. Pater noſter. totum ſecretò.

Lectio iiij. Iob 13.

RESponde mihi quantas habeo iniquitates & peccata: ſcelera mea & delicta oſtende mihi. Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris: Scribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Poſuiſti in neruo pedem meum, & obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti. Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea. ℟. Memento mei Domine, quia ventus eſt vita mea: nec aſpiciat me viſus hominis. ℣. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Nec aſpiciat me.

Lectio v. Iob 14.

HOmo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium? Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es? Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt: conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo vt quieſcat, donec optata veniat, ſicut mercenarij, dies eius. ℟. Hei mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea: quid faciam miſer, vbi fugiam, niſi ad te Deus meus? Miſerere mei dum veneris in nouiſſimo die. ℣. Anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine ſuccurre ei. Miſerere mei.

Lectio vj. Iob 14.

QVis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus in quo recorderis me? Putaſne mortuus homo rurſum viuet? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexterã. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis. ℟. Ne recorderis peccata mea Domine, dum veneris iudicare ſeculum per ignem. ℣. Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam, dum veneris iudicare ſeculum per ignem.

Requiem æternã dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Dũ veneris.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Complaceat tibi Domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me reſpice. Pſalmus xxxix.

EXpectans expectaui Dominum: & intendit mihi.
Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.

Et ſtatuit ſupra petram pedes meos: & direxit greſſus meos.
Et immiſit in os meum canticum nouum: carmen Deo noſtro.
Videbunt multi & timebunt: & ſperabunt in Domino.
Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius: & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.
Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.
Annunciaui & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum.
Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi.
Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, ecce venio.
In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.
Annunciaui iuſtitiam tuam in eccleſia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti.
Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi.
Non abſcondi miſericordiam tuam: & veritatē tuam à concilio multo.
Tu autem Domine ne longè facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.
Quoniam circundederunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.
Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.
Complaceat tibi Domine vt eruas me: Domine, ad adiuuandum me reſpice.
Confundantur & reuereantur ſimul: qui quærunt animam meam, vt auferant eam.
Conuertantur retrorſum: & reuereantur, qui volunt mihi mala.
Ferant confeſtim confuſionem ſuam: qui dicunt mihi, euge, euge.
Exultent, & lætentur ſuper te omnes quærentēs te: & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.
Ego autem mendicus ſum, & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei.
Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Et repetitur Antiphona. Complaceat tibi Domine vt eruas me &c.

Antiphona. Sana Domine animam meam, quia peccaui tibi.

Pſalmus XL.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.
Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.
Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.
Ego dixi, Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: quãdo morietur, & peribit nomen eius?
Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem sibi.
Egrediebatur foras: & loquebatur in idipsum.
Aduersùm me susurrabant omnes inimici mei: aduersùm me cogitabant mala mihi.
Verbum iniquum constituerunt aduersùm me: nunquid qui dormit non adijciet vt resurgat?
Etenim homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.
Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.
In hoc cognoui, quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.
Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.
Benedictus Dominus Deus Israel à seculo, & vsque in seculum: fiat, fiat.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Antiphona. Sana Domine animam meam &c.
Antiphona. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Domini. Psalmus XLI.
Quemadmodùm desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.
Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie; vbi est Deus tuus?
Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.
In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.
Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.
Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonij à monte modico.
Abyssus abyssum inuocat: in voce cataractarum tuarum.
Omnia excelsa tua: & fluctus tui super me transierunt.
In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.
Apud me, oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo; susceptor meus es.
Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo: dum affligit me inimicus?
Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei.
Dum dicunt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus? quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

S pera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

R equiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei:

Antiphona. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, &c.

℣. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi. ℟. Et animas pauperum tuorũ ne obliuiscaris in finem. Sacerdos. P ater noster. totum secretò.

Lectio vij. Iob 17.

SPiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Non peccaui,& in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem,& rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum. Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus. Vbi est ergo nunc præstolatio mea, & patientia mea? Tu es Domine Deus meus. ℟. Peccantem me quotidie & non me pœnitentem, timor mortis conturbat me. Quia in inferno nulla est redemptio: miserere mei Deus, & salua me. ℣. Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua libera me. Quia in inferno.

Lectio viij. Iob 19.

PElli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum; & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei,quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, vel plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo. ℟. Domine secundum actum meum, noli me iudicare, nihil dignum in conspectu tuo egi: ideò deprecor maiestatem tuam, vt tu Deus deleas iniquitatem meam. ℣. Amplius laua me Domine ab iniustitia mea, & à delicto meo munda me: Vt tu.

Lectio ix. Iob 10.

QVare de vulua eduxisti me? Qui vtinam consumptus essem,ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum antequàm vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. ℟. Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda. Quando cœli mouendi sunt & terra. Dum veneris iudicare seculum per ignem. ℣. Tremens factus sum

ego & timeo: dum discussio venerit atque ventura ira. ℟. Quando cœli mouendi sunt & terra. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valdè. ℟. Dum veneris iudicare seculum per ignem. ℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. ℟. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremēda. Quando cœli mouendi sunt & terra. Dum veneris iudicare seculum per ignem.

Et interim Sacerdos cum ministris præparent se ad Missam de Requiem decantandam solenniter & ordinatè, si tempus congruum fuerit.

Ad Laudes incipitur absolutè.

Antiphona. Exultabunt Domino ossa humiliata. Psalmus. Miserere mei Deus, secundùm magnā misericordiam tuam, &c. suprà pag. 330.

Et repetitur Antiphona. Exultabunt Domino, &c.

Antiphona. Exaudi Domine orationem meam; ad te omnis caro veniet.

Psalmus LXIIII.

TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Hierusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum præualuerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris sonum fluctuum eius.

Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini, & vesperæ delectabis.

Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio eius.

Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius, in stillicidijs eius lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.

Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Antiphona. Exaudi Domine orationem meam.

Antiphona Me suscepit dextera tua Domine. Psalmus LXII.

DEus Deus meus: ad te de luce vigilo.

Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea.

In

In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: vt videre virtutem tuam, & gloriam tuam.
Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.
Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.
Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.
Si memor fui tui super stratum meum: in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.
Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.
Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam: introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.
Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua. Et Psalmus LXVI.
Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.
Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuũ.
Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.
Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Antiphona. Me suscepit dextera tua Domine.
Antiphona. A porta inferi erue Domine animam meam.
Canticum Ezechiæ. Isaiæ 38.
Ego dixi, in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.
Quæsiui residuum annorum meorum, dixi: non videbo Dominum Deum in terra viuentium.
Non aspiciam hominem vltra: & habitatorem quietis.
Generatio mea ablata est: & conuoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum.
Præcisa est velut à texente, vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me: de manè vsque ad vesperam finies me.
Sperabam vsque ad manè: quasi leo sic contriuit omnia ossa mea.
De manè vsque ad vesperam finies me: sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba.
Attenuati sunt oculi mei: suspicientes in excelsum.
Domine vim patior: responde pro me: quid dicam? aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?
Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ.
Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & viuificabis

ficabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima.
Tu autem eruisti animam meam, vt non periret: proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.
Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.
Viuens viuens, ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam.
Domine saluum me fac: & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.
Requiem æternam, dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Antiphona. A porta inferi erue Domine animam meam.
Antiphona. Omnis spiritus laudet Dominum. Psalmus CXLVIII.
Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.
Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.
Laudate eum sol, & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.
Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ omnes quæ super coelos sunt, laudent nomen Domini.
Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.
Statuit ea in æternum, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit.
Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyssi.
Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.
Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.
Bestiæ, & vniuersa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.
Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.
Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius.
Confessio eius super cœlum, & terram: & exaltauit cornu populi sui.
Hymnus omnibus sanctis eius: filijs Israel, populo appropinquanti sibi.

Psalmus CXLIX.

Cantate Domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum.
Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultent in rege suo.
Laudent nomen eius in choro: in tympano, & psalterio psallant ei.
Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.
Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
Exultationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorũ.
Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.
Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.
Vt faciat in eis iudicium conscriptũ: gloria hæc est omnibus sanctis eius.

Psalmus CL.

Laudate Dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.
Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cithara.
Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis & organo.
Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Antiphona. Omnis spiritus laudet Dominum.
℣. Audiui vocem de cœlo dicentem mihi.
℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.
Antiphona. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet; & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

Canticum Zachariæ. Lucæ 1.

Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.
Et erexit cornu salutis nobis: in domo Dauid pueri sui.
Sicut locutus est per os sanctorum: qui à seculo sunt, prophetarum eius.
Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium, qui oderunt nos.
Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.
Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis.
Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati: seruiamus illi.
In sanctitate, & iustitia coram ipso: omnibus diebus nostris.
Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.
Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum.
Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos, oriens ex alto.
Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Antiphona. Ego sum resurrectio & vita, &c.
Qua Antiphona finita dicitur Pater noster. secretò.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Et dicuntur quatuor orationes vt in Vesperis.

Oremus. Oratio.

SVscipe Domine animam famuli tui N. quam de ergastulo huius seculi vocare dignatus es, & libera eam de locis pœnarum: vt quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter Sanctos & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, vt in resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos eum resuscitari præcipias. Per Dominum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

DEus cui soli competit medicinam præstare post mortem; tribue quæsumus, vt anima famuli tui N. terrenis exuta contagijs, in tuæ redemptionis parte numeretur. Per Dominum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

PArtem beatæ resurrectionis obtineat Domine anima famuli tui N. vitamq. æternam habere mereatur in cœlis, per te Iesu Christe Saluator mundi: qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

Vel loco istarum quatuor orationum, dicatur sequens, quæ habetur in Missali in die obitus, seu depositionis defuncti.

DEus cui proprium est misereri semper & parcere: te supplices exoramus, pro anima famuli tui quam de hoc seculo hodie migrare iussisti: vt non tradas eam in manibus inimici, neque obliuiscaris in finem; sed iubeas eam à sanctis Angelis suscipi, & ad patriam paradisi perduci: vt quia in te sperauit & credidit, non pœnas æternas sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Dominum nostrum, &c.

℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

Si fuerint plures defuncti, prædictæ orationes dicantur in numero plurali.

Expletis vigilijs mortuorum, si tempus congruum fuerit, Sacerdos celebraturus, ministri & Clerici procedunt ordinatè ad altare, ad Missam de Requiem solenniter decantandam, quæ habetur in Missali in die obitus seu depositionis defuncti, cum supradicta oratione.

Deus cui proprium est misereri semper & parcere, te supplices exoramus &c.

Finita

Finita autem Missa, Sacerdos deposita casula seu planeta, accipit pluuiale nigri coloris, & Subdiaconus accipit crucem, & accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti cum cruce, medius inter duos Acolythos seu ceroferarios cum candelabris & candelis accensis: & omnes alij de Clero veniant ordinatè in gradu suo cum luminaribus seu candelis accensis, & stent in circuitu feretri. Tum sequitur Sacerdos indutus pluuiali cum Diacono & assistente, alijsq. ministris: & facta reuerentia altari, venit & sistit se contra crucem ad pedes defuncti, retro astantibus ei à sinistris duobus Acolythis, vno cum thuribulo & acerra seu nauicula, altero cum vase aquæ benedictæ & aspersorio, & aliquo Acolytho seu Clerico tenente sibi librum, absolutè & sine Oremus, dicit sequentem orationem.

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine; quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio: non ergo eũ quæsumus tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed gratia tua illi succurrente mereatur euadere iudicium vltionis: qui dum viueret insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Qui viuis & regnas Deus in secula seculorum. ℟. Amen.

Deinde Cantore incipiente, Clerus circunstans cantat sequens Responsorium.

Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius; offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Suscipientes.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei. Offerentes eam.

Dum cantatur Responsorium, Sacerdos Acolutho vel Diacono ministrante accipit incensum de nauicula, & ponit in thuribulum, vt deinde cum eo incenset corpus, & finito responsorio, cantor cum primo choro dicit, Kyrie eleison. Et secundus chorus dicat, Christe eleison. Deinde omnes simul dicant, Kyrie eleison. Et eo finito, Sacerdos dicat alta voce, Pater noster. Et in silentio dicitur, & ipse interim accipit à Diacono, vel Acolutho aspersorium aquæ benedictæ, & tunc facta profunda reuerẽtia cruci, quæ est ex aduerso, Diacono seu ministro genuflectente, & deinde fimbrias pluuialis subleuante, circumiens feretrum aspergit corpus defuncti; deinde reuersus ad locum suum, Diacono ministrante accipit thuribulum, & facta etiam reuerentia cruci eodem modo circuit feretrum, & corpus incensat vt asperserat; posteà verò reddito thuribulo, ei à quo acceperat, stans in loco suo, Acolutho seu alio ministro tenente supra pectus librum apertum ante se, subiungit.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus. Oratio.

DEus cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius: te ſupplices exoramus; vt ſuſcipi iubeas animam famuli tui N. quam de ergaſtulo huius ſeculi vocare dignatus es, per manus ſanctorum Angelorum tuorum deducendam in ſinum amici tui Abrahæ Patriarchæ, reſuſcitandamq. in nouiſſimo iudicij magni die: vt quicquid vitiorum diabolo fallente contraxit, tu pius & miſericors abluas indulgendo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Finita oratione Cantor incipiat ſequens Reſponſorium, & chorus proſequitur. ℟. Ne recorderis peccata mea Domine, dum veneris iudicare ſeculum per ignem. ℣. Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam, Dum veneris. ℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Dum veneris iudicare.

Dum cantatur ſupradictum Reſponſorium, Sacerdos ponat incenſum in thuribulo, & dicto Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. vt ſupra, alta voce dicit, Pater noſter. & accipit aſperſoriũ infuſum aqua benedicta, & ſicut priùs facta reuerentia cruci, cui & à miniſtro genuflectitur, & Diacono ſubleuante fimbrias circumit feretrum, & ſecundò aſpergit corpus; & deinde thuribulum, & illud ſimiliter ſecundò incenſat eodem modo, quo ſuprà dictum eſt; & reuerſus in locum ſuum, & reddito thuribulo, dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

FAc quæſumus Domine hanc cum ſeruo tuo defuncto miſericordiam, vt factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: vt ſicut hîc eum vera fides iunxit fidelium turmis; ita illic eum tua miſeratio ſociet angelicis choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Cantor incipiat ſequens Reſponſorium, & chorus proſequitur.
℟. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda. Quando cœli mouendi ſunt & terra. Dum veneris iudicare ſeculum per ignem. ℣. Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. Quando cœli mouendi ſunt & terra. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miſeriæ, dies magna & amara valde. Dum veneris iudicare ſeculum per ignem. ℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Et repetitur ℟. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli mouendi ſunt & terra. Dum veneris iudicare ſeculum per ignem.

Et dum cantatur, Sacerdos ponit incenſum in thuribulo vt ſuprà, & poſteà dicit alta voce, Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. & Pater noſter.

Et tunc accipit aſperſorium cum aqua benedicta, circuit feretrum, &

tertiò aspergit corpus;& deinde thuribulum,& similiter circuit feretrū & tertiò incensat, vt priùs: & reddito thuribulo, stans in suo loco dicit

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationē meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui N. & defunctus seculo tibi viuat,& peccata,quæ per fragilitatem carnis humana conuersatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita oratione Sacerdos præcipiat portatoribus, vt accipiant feretrum cum corpore,& deferant ad tumulum: dum portatur, Clerici cantent sequentes Antiphonas. Antiphona.

In paradisum deducant te Angeli: in tuo aduentu suscipiant te Martyres, & perducant te in Ciuitatem sanctam Hierusalem. Antiphona.

Chorus Angelorum te suscipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Cùm autem peruenerint ad tumulum, Sacerdos cum Clericis cantatis Antiphonis benedicit sepulturam, si iam non est benedicta, dicens absolutè hanc orationem.

Oremus. Oratio.

DEus qui fundasti terram, formasti cœlos,qui loca syderibus stabilita fecisti; qui captiuum laqueo mortis hominem lauacri ablutione reparasti: qui sepultos Abraham, Isaac, & Iacob in spelunca duplici in libro vitæ, atque totius gloriæ principes annotasti benedicendos: ita bene ✝ dicere digneris & hunc tumulum famuli tui N. vt hîc eum requiescere facias; & in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob collocare digneris,qui Dominum nostrum Iesum Christum, contritis laqueis infernorum, se, suorumq. membra in se credentium resurgere & resuscitare voluisti; respice Domine super hanc fabricam sepulturæ; descendat ad eam Domine Spiritus tuus sanctus, vt te iubente sit in hoc loco famulo tuo N. quieta dormitio,& tempore iudicij tui cum Sanctis omnibus vera resuscitatio. Præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui tecum & cum Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicta oratione, Sacerdos accipiat aquam benedictam,& aspergat corpus defuncti & tumulum, & similiter accipiat thuribulum cum incenso, & vtrumque incenset.

His peractis dicantur in persona defuncti, sequentes Antiphonæ cum suis Psalmis, Cantore eas incipiente, & duplicantur: & in fine cuiusque Psalmi dicatur,Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Anti-

Antiphona. Aperite mihi portas iustitiæ; & ingressus in eas confitebor Domino. *Et mox aperiatur sepultura.* Psalmus. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculũ misericordia eius &c. suprà pag. 345. Requiem æternã dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Et repetitur Antiphona. Aperite mihi portas &c.

Antiphona. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad montem Dei. Psalmus. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus &c. suprà in tertio Nocturno mortuorum, pag. 422. Et repetitur Antiphona. Ingrediar in locum tabernaculi &c. sepeliatur defunctus. Et eo sepulto, in eius persona similiter dicatur.

Antiphona. Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Psalmus. Memento Domine Dauid; & omnis mansuetudinis eius &c. suprà pag. 351. Antiphona. Hæc requies mea &c.

Antiphona. De terra formasti me, carne induisti me: redemptor meus Domine resuscita me in nouissimo die. Psalmus CXXXVIII.

DOmine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam, & funiculum meum inuestigasti.

Et omnes vias meas præuidisti: quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eã.

Quò ibo à spiritu tuo: & quò à facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in delicijs meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero matris meæ.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.

Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate à me.

Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate ciuitates tuas.
Nonne, qui oderũt te Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebã?
Perfecto odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.
Proba me Deus, & scito cor meũ: interroga me, & cognosce semitas meas.
Et vide, si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Antiphona. De terra formasti me &c.

Antiphona. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Psalmus. Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam &c. suprà pag.332. Antiphona. Non intres in iudicium &c.

Antiphona. Omnis spiritus laudet Dominum. Psalm. 148. cum duobus sequentibus. Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis &c. suprà in Laudibus defunctorum, pag.427. Antiph. Omnis spiritus &c.

Antiphona. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternũ. Canticum Zachariæ, Lucæ 1. Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ &c. habetur suprà in Laudibus, pag.428. Antiphona. Ego sum resurrectio &c.

Deinde Sacerdos dicat has sequentes orationes. Oratio.

OREmus fratres charissimi pro spiritu fratris nostri N. quem Dominus de laqueo huius seculi liberare dignatus est, cuius corpusculum hodie sepulturæ traditur: vt eum pietas Dei in sinu Abrahæ, Isaac & Iacob collocare dignetur, & cũm iudicij dies aduenerit, inter Sanctos & electos suos eum in parte dextera collocandũ resuscitari faciat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus. Oratio.

DEus, cui omnia viuunt, & cui non pereunt, moriendo fideliũ corpora, sed mutãtur in melius: te supplices deprecamur, vt quicquid anima famuli tui N. vitiorum, tuæq. voluntati contrarium, fallente diabolo, seu propria iniquitate vel fragilitate contraxit, tu pius & misericors abluas indulgendo: eamq. suscipi iubeas per manus sanctorum Angelorum tuorum deducendam in sinum Patriarcharum & Prophetarum tuorum, Abrahæ scilicet amici tui, & Isaac electi tui, & Iacob dilecti tui: vnde aufugit dolor atque tristitia, & suspirium: fidelium quoque animæ felici iucunditate lætantur: & in nouissima magni iudicij die inter Sanctos & electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam præparasti diligentibus te. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus. Oratio.

TEmeritatis quidem est Domine, vt homo hominem, cinis cinerem, mortalis mortalem tibi Domino Deo audeat commendare: sed quia terra suscipit terram, & puluis conuertitur in puluerem, donec omnis caro in suam redigatur originem: inde tuam pijssime pater lacrymabiliter quæsumus pietatem, vt huius famuli tui N. animam, quam de

huius

huius seculi cœnulenta voragine ducis ad patriam, Abrahæ amici tui sinu recipias, & refrigerij rore perfundas. Sit ab æstuantis gehennæ truci incendio segregata, & beatæ requiei tuæ, te donante, coniuncta: & si quæ sunt illi, Domine, dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratia mitissimæ lenitatis indulge, nec peccati recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: sed indulgentiæ tuæ piam sentiat sanitatẽ. Cumq. finito mundi termino supernum cunctis illuxerit regnum, nouus homo Sanctorum omnium cœtibus aggregatus, cum electis tuis resurgat in parte dextera collocandus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

OPus est misericordiæ Domine sancte, Pater omnipotẽs, æterne Deus rogare pro alijs: & quia pro nobis non sufficimus, suscipe, rogamus, animam serui tui N. reuertentem ad te. Adsit ei Angelus testamẽti tui Michael, & per manus sanctorum Angelorum tuorum inter Sanctos & electos tuos in finibus Abrahæ, Isaac, & Iacob Patriarcharum tuorum eam collocare digneris. Libera eam Domine de principibus tenebrarũ, & de locis pœnarũ, ne famulus tuus vllis iam primæuæ natiuitatis vel ignorantiæ confundatur erroribus: agnoscatur à tuis, & misericordia bonitatis tuæ ad locum refrigerij & quietis in sinum Abrahæ transferatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEbitum humani corporis sepeliendi officium, fidelium more cõplentes: Deum, cui omnia viuũt, deprecamur, vt hoc corpus fratris nostri N. à nobis in infirmitate sepultũ, in ordine Sanctorum suorũ resuscitet, & eius spiritum Sanctis ac fidelibus aggregari iubeat, cum quibus inenarrabili gloria, & perenni felicitate perfrui mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animã inspirare dignatus es, q̃dum te iubente puluis redit in puluerem: tu imaginem tuam cum Sanctis & electis tuis æternis sedibus præcipias sociari. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

His omnibus expletis, & postquàm defunctus sepultus fuerit, Sacerdos aqua benedicta aspergat tumulum, & dicat alta voce: Orate omnes. & omnes sub silentio dicant, Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. ℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cũ spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

SAtisfaciat tibi quæsumus Domine Deus noster pro anima famuli tui fratris nostri, beatissimæ Dei genitricis semperq. virginis Mariæ, &

beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & beati N. patroni nostri: & si fuerint plures, dicatur NN. patronorum nostrorum, omniumq́. Sanctorum tuorum oratio, & præsentis familiæ tuæ humilis & deuota supplicatio: vt peccatorum omniũ veniam, quam precamur obtineat: nec eum patiaris cruciari gehennalibus flammis, quem filij tui Domini nostri Iesu Christi pretioso sanguine redemisti. Qui tecum, & cum Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. Et Sacerdos dicat alta voce.

Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum, per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Et statim Cantor incipiat Responsorium. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea. Et illud cantantes, à cœmeterio vel sepultura reuertuntur in Ecclesiam ℟. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea. Nec aspiciat me visus hominis. ℣. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meã. Nec aspiciat me visus hominis.

℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Nec aspiciat me visus hominis.

Cùm autem reuersi fuerint in Ecclesiam, ordinatè stent in choro, & finito dicto Responsorio, Sacerdos dicit, Pater noster. Et omnes sub silentio dicant, Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui N. vt defunctus seculo tibi viuat: & quæ per fragilitatem mundanæ conuersationis peccata commisit, venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quando dictum officium mortuorum & Missa omittuntur.

Qvòd si per aliquod impedimentum vel Dominicæ occurrentis, vel duplicis festi, vel alicuius magnæ solennitatis, in sero vesperæ mortuorum, & manè vigiliæ mortuorum cantari non possint, vel quia hora tardior est, quàm officium requirat, vel quia tempus sit nocturnum & importunum, tunc omittuntur, sed dicuntur preces tantùm.

Sic & si Missa propter eiusmodi impedimenta, vel quia tempus incongruum est, & extra debitam horam, puta post meridiem, cantari non possit, tunc omittitur, & dicta officia transferuntur in sequentem diem, vel alium non impeditum; quo omissa omnia, solenniter peraguntur. Nisi quòd in hoc officio, eodem die quo corpus delatum fuerit

fuerit ad Ecclesiam, etiam si Vigiliæ & Missa cãtatæ non fuerint, dicantur ad absolutionem & tumulum defuncti Responsoria, Preces, & Orationes, & reliqua quæ dicẽda sunt circa corpus defuncti eodem modo, quo suprà: Et incipitur ab Oratione: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, &c. suprà pag. 430. & sequentibus paginis vsque in finem.

Supradictum officium sepulturæ fit & seruandum est pro defunctis adultis, non tam Sacerdotibus & Clericis, quàm secularibus & laicis secundùm veterem ritum S. R. E. si opportunum fuerit: & antiqua consuetudo Ecclesiarum, aut alia rationabilis causa non obsistat: sublata differentia diuersitatis officij sepulturæ vtrorumque, quæ non antiquorum auctoritate, sed neotericorum & posteriorum vsu, & studio breuitatis introducta fuit.

Ab his itaque qui secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ officium celebrare tenentur, & Vesperæ & tota Vigilia cum tribus Nocturnis & nouem Lectionibus & Missa decantandæ sunt, & Responsoria, Versus, & Preces, & Orationes ad absolutionem & tumulum; habito tamen discrimine generis seu sexus & numeri, dicendæ vel in alium diem non impeditum transferendæ, nisi iusta quandoque causa subsit omissionis, vt temporis angustia, & funerum frequentia, aut alia rationabilis causa vel necessitas, quæ ista integrè tunc impleri, aut in alium diem transferri prohibeant aut impediant.

Cæterùm quod ad Vigiliam spectat, in quibusdam Prouincijs & Ecclesijs ac antiqua consuetudine, contra rubricam Romani Breuiarij, loco Vesperarum & totius Vigiliæ, quæ ex tribus Nocturnis, & nouem Lectionibus constat, dicitur primum Nocturnum cum tribus Psalmis & tribus Lectionibus, cum Inuitatorio, Regem cui omnia viuunt &c. & Laudibus: & hæc quidem si antiqua sit supra ducentos annos, iuxta constitutionem sanctæ mem. Pij Papæ V. super reformatione Breuiarij Romani, proculdubiò seruari debet. Sed si non supra ducentos annos, in casu necessitatis & angustiæ temporis, vel alterius rationabilis causæ, vt præmittitur, ferenda videtur. At verò vt omninò omittatur officium Vigiliæ, nec postmodùm dicendum transferatur, planè non probatur.

Quare quantum ex ijs, quæ ad hoc officium pertinent, in casibus prædictis sequens ordo videtur opportunus.

Postquàm corpus defuncti delatum fuerit in Ecclesiam, in qua tumulari debet, deponitur super feretrum in medio Ecclesiæ cum cereis & luminaribus, dicuntur Vesperæ cum Psalmis & Antiphonis duplicatis, & tota Vigilia cum tribus Nocturnis & nouem Lectionibus, & ad Laudes, & Antiphonæ duplicantur, vt in præcedenti Officio ad Vesperas pag. 409. & ad Matutinum pag. 415. cum propria oratione in die obitus seu depositionis defuncti. Deinde cantatur Missa de Requiem;

 si tem-

si tempus congruum fuerit: & fit totum Officium vt supra vsque in finem. Quod si tempus congruum non fuerit, omittitur Missa; vel in aliumdiem transfertur.

Si verò iuxta antiquam Prouinciæ aut Ecclesiæ consuetudinem, aut propter necessariam & rationabilem causam, vt temporis angustiam, & aliorum funerum instantem delationem, officium huiusmodi decurtatur, duo Clerici incipiunt Inuitatorium, Regem cui omnia viuunt, venite adoremus. Psalmus. Venite exultemus Domino &c. Et chorus respondet. Deinde dicitur primum Nocturnum, Antiphona. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. Psalmus. Verba mea auribus percipe Domine, cum reliquis, & duplicantur Antiphonæ, dicuntur tres primæ Lectiones, & sequuntur Laudes &c. vt suprà in præcedenti officio pag.424. & seqq.

Et post Missam, si dicatur; vel si non dicatur, quia tempus non est opportunum, Sacerdos cum stolâ & pluuiali, cum cruce & Clero & luminaribus accedit ad feretrum, & stans ad pedes defuncti contra crucem, Clero circumastante, vt suprà pag.430. incipit absolutè sine Oremus.

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quoniã nullus apud te iustificabitur homo: nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum quæsumus Domine tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat; sed gratia tua illi succurrente mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et cantores loci incipiunt ℟. Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Suscipientes. ℣. Requiem æternã dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Offerentes eam. Et Clerus prosequitur de more.

Dum autem cantatur prædictum Responsorium, Sacerdos ponit incensum in thuribulo: & finito Responsorio cantor cum primo choro dicat Kyrie eleison. & secundus chorus, Christe eleison. deinde omnes simul dicant, Kyrie eleison. Quo finito, Sacerdos dicat alta voce, Pater noster.

Et interim circuit feretrum, & accipiens de manu ministri aquam benedictam cum aspersorio, aspergit corpus defuncti, & indè thuribulum, & similiter circumiens feretrum, corpus incensat. ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius; te supplices exoramus, vt suscipi iubeas animam famuli tui N. quam de ergastulo huius seculi vocare, dignatus es, per manus sanctorum Angelorum ducendam in sinum amici

tui Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamq. in nouissimo Iudicij magni die: vt quicquid vitiorum, diabolo fallente, contraxit, tu pius & misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita oratione Cantores incipiant, & Clerus prosequitur ℟. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda. Quando cœli mouendi sunt & terra. Dum veneris iudicare seculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego & timeo, dum discussio venerit atque ventura ira. Quando cœli mouendi sunt & terra. ℣. Dies illa dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde. Dum veneris iudicare seculum per ignem. ℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Et repetitur ℟. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli mouendi sunt & terra: Dum veneris iudicare seculum per ignem. Et interim Sacerdos imponat incensum in thuribulo, vt suprà. Finito verò Responsorio, dicatur vt suprà. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et dum dicitur, ipse accipit aquã benedictam, & circumiens feretrum, aspergit corpus; similiter accipit thuribulum, & circumiens feretrum corpus incensat.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui N. vt defunctus seculo tibi viuat; & quæ per fragilitatem carnis humana conuersatione peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita oratione, aliqui de circunstantibus accipiant feretrum, & deportent defunctum ad tumulum, & dum portatur, Clerici cantent sequentes Antiphonas. Antiphona.

In paradisum deducant te Angeli; in tuo aduentu suscipiant te Martyres, & perducant te in Ciuitatem sanctam Hierusalem. Antiphona.

Chorus Angelorum te suscipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem. Deinde Antiphonam.

Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

Canticum Zachariæ, Lucæ 3. Benedictus Dominus Deus Israel &c. suprà in Laudibus pag. 428.

Finito Cantico repetitur Antiphona. Ego sum &c.

His omnibus finitis, Sacerdos accipiat aquam benedictam, & aspergat corpus defuncti & tumulum, & posteà incenset similiter, & dicat alta voce, Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. ℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

SAtisfaciat tibi quæsumus Domine Deus noster pro anima famuli tui, Dei genitricis semperq. virginis Mariæ & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & sancti N. patroni nostri siue NN. patronorum nostrorum, omniumq. Sanctorum tuorum oratio, & præsentis familiæ tuæ humilis & deuota supplicatio, vt peccatorum omnium veniam, quam precamur, obtineat, nec eum patiaris cruciari gehēnalibus flammis, quem filij tui Domini nostri Iesu Christi pretioso sanguine redemisti. Qui tecum & cum Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Et idem Sacerdos dicat.

Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Et tunc statim Cantor incipiat, Clero prosequente, Responsorium.

Memento mei Deus, quia ventus est vita mea. Nec aspiciat me visus hominis. ℣. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Nec aspiciat me visus hominis. ℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Nec aspiciat me visus hominis.

Dum prædictum Responsorium cantatur, à cœmeterio vel sepultura reuertentur in Ecclesiam. Et postquàm reuersi fuerint, stent ordinatè in choro. Et finito Responsorio, Sacerdos dicat alta voce, Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui N. vt defunctus seculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem mundanæ conuersationis peccata commisit, venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DE VISITATIONE domus defuncti.

EXpletis exequijs, tunc aut postea cum primùm opportunum fuerit, Parochus, siue Sacerdos, cui incumbit, cum clerico deferente vas cum aqua benedicta, & aspersorio poterit se conferre ad domum defuncti; & ibi primò condolere, & contristari cum illius parentibus, consanguineis, propinquis, affinibus, domesticis, & familiaribus qui aderût, de eius amissione, obitu, & migratione, & in Domino hortari, vt patienter ferant; tum propter ineuitabilem moriendi necessitatem, qua cuncti, qui nascimur omninò obligamur, & cùm hæc sit via vniuersæ carnis, & sicut scriptura dicit, Statutum sit hominibus semel mori, & à qua morte, nec ipse Filius Dei, pro sua misericordia carne suscepta, eximi voluit; tum propter multas eius vtilitates quas secum affert, scilicet assecutionem gloriæ cœlestis, & accelerationem visionis Dei, & in primis, quòd per eam imponatur finis peccandi, & tollatur occasio de cætero offendendi Deum: tum denique propter spem resurrectionis in æterna vita. *Hebr. 9. g*

Ad hæc si opportunitas dabitur, aliquid dicere poterit de memoria defunctorum, & mortis habenda; iuxta monitum Sapientis: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Deinde consolandi sunt in Domino, & hortandi vt modestè in luctu se gerant & desistant ab immoderatis fletibus, planctibus, eiulatibus, & nimijs cruciatibus, & lamentis, dicente Sapiente: Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Et iterum: Supra mortuum modicum plora. Et cum Apostolus doceat: Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent &c. Et iuxta alia similia scripturarum loca. *Eccli. 7. d* *Ibid. 22. b* *1. Thess. 4. d*

Ac vt magis pro anima defuncti fiant orationes, ieiunia, eleemosynæ, peregrinationes, & alia bona opera: recitentur psalterium, officia mortuorum, & celebrentur sacrificia & Missæ de Requiem, & procurentur alia suffragia pietatis, vt Tobias filium monebat. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue; & Iudas Machabæus seruauit. Vir fortissimus Iudas collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum, sacrificium, iustè & religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. *Tob. 4. c* *2. Mach. 12. g*

Et insuper quia in ægrotatione & morte infirmorum plura peccata, & excessus admittuntur ab assistentibus & domesticis ex impatientia, dolore, aut importunitate; moneantur, vt de ijs doleant & pœniteant, ac vt modò, si velint, generalem faciant confessionem, & dicant etiam vulgari sermone, Confiteor Deo omnipotenti, & si faciût, Sacerdos aliquam eis imponat pœnitentiam, puta vt recitent aliquoties Pater noster, vel Aue Maria pro anima defuncti; & ipse subdat Misereatur vestri &c. Indulgentiam, absolutionem, &c. Et deinde aspergat omnes astantes, & domum, vel saltem cubiculum defuncti aqua benedicta, & reuertatur ad Ecclesiam, vel ad domum suam.

Præmonitiones aliquæ ad officium sepulturæ paruulorum.



CVm superiùs abundè traditum fuerit de officio fidelium defunctorum, restat vt de beatorum paruulorum, qui ex hac vita post Baptisma decesserunt, sepultura dicatur: cùm ipsi non modicam, aut obscuram corporis mystici, quod est Ecclesia, constituant in vita beata portionem: pro quibus baptizatis, eorumq. asserenda salute aduersùs perditos hæreticos, complures sancti Patres, & clarissimi doctores fortiter decertarunt, & scripserunt: & olim multa de ipsorum communione, viatico, vnctione & sepultura à patribus tradita sunt.

In primis quidem admoneantur Prælati, & Rectores Ecclesiarum, vt iuxta vetustam, & laudabilem Ecclesiarum consuetudinem, beatorum paruulorum corpuscula non sepeliantur in communibus & promiscuis cœmeteriorum & Ecclesiarum locis siue sepulturis: sed vt pro illis humandis in Cathedralibus, & Parochialibus Ecclesijs aut illarum cœmeterijs speciales, seu separatos ab alijs loculos, seu sepulturas constituant, & habeant seu fieri curent.

In his autem non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint, pueri vel infantes: Alij verò non baptizati, vel etiam fœtus animati iam mortui, quibus Baptismus non est exhibitus, nullo modo in Ecclesia vel cœmeterio, sed extra sepeliantur. Sublato abusu (vbi is fuerit) imperitorum quorumdam clericorum & mulierum, qui huiusmodi paruulos seu partus iam viuificatos, mortuos sine baptismo, sepeliunt in cœmeterio, vel subtus stillicidia tectorum Ecclesiarum, vel quia falsò putant cœmeterium non esse Ecclesiasticam sepulturam; vel quia non minùs superstitiosè quàm impiè opinantur illorum animas aquis & stillicidijs Ecclesiarum expiari.

In funere paruulorum communiter non pulsantur campanæ: licet alibi distinguatur super ætate, sint ne infra, vel supra septem annos: nam si infra, campanæ pulsari non debent. Quòd si pulsandæ sint, non sono lugubri, sed potiùs festiuo pulsari debent.

Possunt & Missæ pro paruulis baptizatis defunctis celebrari, non quòd eis prosint ad remissionem pœnæ, quam non tolerant, nec ad augmentum gloriæ essentialis, quæ non potest augeri; sed benè accidentalis, quæ secundùm probabiliorem opinionem augeri potest vsque ad diem iudicij: sed alijs pluribus rationibus, pro paruulis baptizatis, qui obierunt, Missam conuenit celebrari, quæ sunt, Conformitatis Ecclesiæ conseruatio in exequijs defunctorum tàm adultorum, quàm paruulorum; Deuotionis fidelium, & præsertim parentum excitatio; Beneficij redemptionis recordatio, quod in paruulis saluandis solo merito Redemptoris maximè elucet; Connexionis seu vnitatis paruulorum cum cæteris membris corporis Christi mystici significatio; Animarum purgandarum sarcinæ subleuatio, ex eo quòd illarum pœnæ virtute eius sacrificij, quod pro ipsis paruulis offertur mitigantur. Debitæ diuinæ laudis expressio, quæ Saluatori exhibenda est, ex hoc quòd sine illorum meritis gratiæ suæ sinceritate saluantur, conuenit, vt pro illis Missarum solennia celebrentur, & hostia salutaris offeratur. Ex hoc enim quòd pœnæ animarum purgãdarum illorum gratia mitigantur, & laus Deo exoluitur, & deuotio fidelium ad eorundẽ meritum excitatur, accrescit illis materia gaudij. Vel breuiùs dicendũ tum propter solatium viuorum, tum ad ostendendum paruulos ad vnitatem corporis Christi mystici pertinere, dum idẽm modus exequiarũ seruatur in ipsis, qui & in alijs Christifidelium; tum ad commendandum redemptionis mysterium, quod in hoc Sacramento commemoratur, per quod paruuli sine proprio merito salutem consequuntur æternam.

Poterunt autem celebrari Missæ siue de die, siue de sanctissima Trinitate, siue de Spiritu sancto, siue etiam de Angelis, siue pro gratiarum actione, iuxta celebrantis, seu celebrari facientis deuotionem: Licet aliqui censeant Missam pro omnibus, vel pro alijs defunctis, non pro illo paruulo celebrari posse.

De

De officio sepulturæ paruulorum Christianorum.

CVm infans seu puer baptizatus defunctus fuerit ante annos discretionis, induitur iuxta ætatem, & imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis & odoriferis in signum integritatis carnis & virginitatis. Et cùm effertur de domo ad Ecclesiam, portatur in vlnis seu brachijs si potest. Et parochus seu Sacerdos superpelliceo & stola indutus, & alij de Clero, præcedente cruce, quæ sine hasta defertur, dicunt in cantu plano Psalmum. Beati immaculati in via &c. suprà pag. 346.

Et Psal. CXII.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum: ex hoc, nunc, & vsque in seculum.
A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen Domini.
Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria eius.
Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra?
Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.
Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.
Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc & semper: & in secula seculorum. Amen.

Et quandoq; est longius iter à domo ad Ecclesiam ad quam defertur, dicantur etiam Psalmi Graduales, vt Psal. 119. Ad Dominum cum tribularer clamaui. & reliqui, quos habes suprà de Commendatione animæ pag. 349. singuli cum Gloria Patri. & Sicut erat. vel saltem in fine vltimi Psalmi.

Et cùm peruentum fuerit ad Ecclesiam, incipitur Antiphona. Hic vel Hæc accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Deinde dicitur Psalmus XXIII.

DOmini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.
Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.
Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?
Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam: nec iurauit in dolo proximo suo.
Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo.
Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.
Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.
Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.
Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.
Gloria Patri, &c.
Quo finito repetitur Antiphona. Hic vel Hæc accipiet &c. Posteà dicatur Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Me autem propter innocentiam suscepisti. ℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

Omnipotens & mitissime Deus, qui omnibus paruulis renatis fonte baptismatis, dum migrant à seculo, sine vllis eorum meritis vitam illicò largiris æternam, sicut animæ huius paruuli hodie credimus te fecisse: fac nos quæsumus Domine per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiso cum beatis paruulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dum portatur ad tumulum, dicatur Antiphona. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini. Psal. 148. cum duobus sequentibus. Laudate Dominum de cœlis. Gloria Patri. Sicut erat. Et repetitur Antiphona. Iuuenes & virgines &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Sinite paruulos venire ad me. ℟. Talium est enim regnũ cœlorum.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus sanctæ puritatis amator, qui animam huius paruuli ad cœlorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es; digneris etiam Domine ita nobiscum misericorditer agere, vt meritis tuæ sanctissimæ passionis, & intercessione beatæ Mariæ semper virginis & omnium Sanctorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis & electis tuis semper facias congaudere cœlestibus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos imponat incensum in thuribulo, & nõ in suffragium, sed in honorem beati paruuli, & in sanctificationem eius tumuli, aspergat illius corpusculum aqua benedicta, & incenset. tum similiter & eius tumulum seu loculum aspergat & incenset. Posteà in eo collocetur, contegatur, & sepeliatur.

Cùm autem reuertuntur à cœmeterio vel tumulo seu loco sepulturæ ad Ecclesiam, & in chorum, pronuntiatur Antiphona. Benedicite Dominum.

Deinde dicatur Canticum trium puerorum. Daniel 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol,& luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite imber, & ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis,& æstus Domino: benedicite frigus,& æstas Domino.

Benedicite rores,& pruina Domino: benedicite gelu,& frigus Domino.

Benedicite glacies,& niues Domino: benedicite noctes,& dies Domino.

Benedicite lux, & tenebræ Domino: benedicite fulgura, & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet,& superexaltet eum in secula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite vniuersa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria,& flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ, & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet & superexaltet eum in secula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite serui Domini Domino.

Benedicite spiritus,& animæ iustorum Domino: benedicite sancti,& humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicamus Patrem,& Filium,cum sancto Spiritu: laudemus,& superexaltemus eum in secula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in secula.

Et eo finito,dicitur tota Antiphona. Benedicite Dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

Deinde ante altare dicitur ℣. Dominus vobiscũ. ℟. Et cũ spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus,qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Oratio.

Concede nos famulos tuos Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

Ora-

Oratio.

DEus qui miro ordine Angelorum ministeria hominumq. dispensas; concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Deo gratias.

Tunc si placuerit parentibus vel Sacerdoti, & tempus congruum fuerit, poterit celebrari seu cantari Missa de Spiritu sancto, vel de Angelis, vel alia vt suprà.

De officio faciendo in exequijs & anniuersario alicuius defuncti.

QVando exequiæ fiunt in die obitus seu depositionis defuncti præsente corpore, omnia fiunt vt suprà de officio sepulturæ, pag.413.

Quando verò fiunt exequiæ absente corpore, eo vel alio die in alia Ecclesia, Ciuitate, Prouincia, vel loco, dicantur Vesperæ & tota Vigilia mortuorum, cum Laudibus, & Antiphonis duplicatis, & Missa cum reliquis, & post Missam Oratio. Non intres in iudicium. suprà pag.430. cum Responsorijs & reliquis Orationibus vsque ad Orationem vltimam, Absolue quæsumus Domine animam famuli tui, pag.432. inclusiuè, omissis ijs, quæ deinde ponuntur de portando feretro cum corpore ad tumulum, & de illo benedicendo, & corpore sepeliendo vsque in finem.

Idem si posteà in eadem Ecclesia, in qua corpus sepultum est, vel in alia faciendum sit officium mortuorum, siue in die tertio vel septimo, vel trigesimo, vel quinquagesimo, vel alio: siue in anniuersario depositionis eiusdem, sicut in ipso die depositionis, fiat similiter totum officium vt suprà cum suis Responsorijs & Orationibus congruentibus, & vltima de proprio officio eius diei, vt in Missali.

In alijs verò exequijs & anniuersarijs officijs alicuius vel plurium defunctorum, dicitur Missa de Requiem pro eis, vt in Missali. Et tunc decet, vt Missam præcedat officium, & die præcedente dicantur Vesperæ defunctorum; & deinde, siue manè tota Vigilia cum tribus Nocturnis & Laudibus defunctorum Antiphonis duplicatis.

Post Missam celebrans deponit manipulum & planetam, accipit pluuiale nigri coloris, & præcedētibus Subdiacono cum cruce & Clero, & duobus ceroferarijs cum luminaribus accensis; & duobus Acoluthis vno cum nauicula incensi, & thuribulo: & altero cum vase aquæ benedictæ & aspersorio, accedit cum Diacono à sinistris ad locum tumuli seu feretri, quem circunstant.

Interim cantatur ℟. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda. Quando cœli mouendi sunt & terra: Dum veneris iudicare

seculum

seculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando cœli mouendi sunt & terra. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde. Dum veneris iudicare seculum per ignem. ℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli mouendi sunt & terra. Dum veneris iudicare seculum per ignem.

Interim ministratur incensum, benedicitur & imponitur in thuribulo cum cochleari. Tum dicitur Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Sacerdos dicit, Pater noster. & illud sub silentio dicit totum. Et interim accipiat aspersorium cum aqua benedicta de manu Diaconi, & circumaspergit feretrum siue sepulturam, siue locum eius, & dimittit in manu Diaconi; de cuius manu accipit deinde thuribulum; & similiter circumiens feretrum siue sepulturam incensat, & relinquit in manu Diaconi, qui cùm dat, vel ab eo accipit aspersorium aut thuribulum, eius manum osculatur. Sacerdos dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio, vt quæ dicta est in Missa: vel alia conueniens, vt quæ dicitur ad absolutionem defuncti.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum; vt in resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrũ. ℟. Amen.
℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

Si fuerint plures, Oratio & Versus dicuntur in numero plurali: si fuerit mulier, in genere fœminino. Si fuerit Sacerdos, Episcopus, aut Prælatus, in Oratione ponitur nomen Sacerdotis seu Prælati. Si fuerit summus Pontifex dicitur Oratio, Deus qui inter summos Sacerdotes. vt in Missali.

De exequijs & absolutione magni Prælati, aut magni Principis.

IN exequijs autem alicuius magni Prælati seu S. R. E. Cardinalis aut Archiepiscopi, vel Episcopi, Imperatoris, Regis, aut Principis Missam solenniter celebret Episcopus, vel alius Prælatus, si adest: alioquin dignior Sacerdos Ecclesiæ, in qua exequiæ sunt celebrandæ, cum ministris paratis. Qua finita ordinantur à magistro cæremoniarũ seu alio cappellano petito, qui fuerit deputatus, in loco vbi absolutiones fieri

debebunt in capite loci in medio vnum faldistorium pro illo qui celebrauit, & in quatuor angulis quatuor scabella, videlicet in quolibet angulo vnum scabellum. Subdiaconus, qui in Missa cantauit epistolam vt paratus deferat crucem processionalem, vnus Acoluthus, qui thuribulum cum igne, & nauiculam cũ thure & cochleari: Alius Acoluthus qui vas aquæ benedictæ cum aspersorio: & duo alij Acoluthi seu ceroferarij duo candelabra cum luminaribus accensis deferant.

Et interim Prælatus, qui celebrauit, apud faldistorium prope altare deponit planetam; &, si placuerit, poterit etiam deponere dalmaticam & tunicellam; & accipit pluuiale nigrum & mitram simplicem, & quatuor alij Episcopi vel Prælati, si adsint, aut ad alium locum decentem & propinquum, vbi quilibet eorum accipit supra rocchettum; vel si sit regularis, supra superpelliceum, amictum, stolam, pluuiale nigrum & mitram simplicem: si verò non adsint Episcopi vel Prælati, loco deficientium assumuntur digniores Canonici Ecclesiæ, vel alij in dignitate constituti, qui supra rocchettos, si ijs vtantur, aliter verò supra superpellicea accipiunt amictus, stolas, pluuialia nigra, & mitram simplicem, si ea vti possunt, alioquin bireta, & omnes sic parati accedunt ad Episcopum seu illum qui celebrauit, & cum eo vadunt ad castrum doloris seu feretrum, aut ad sepulturam, vel alium locum, in quo absolutiones fieri consueuerunt hoc ordine.

Præcedunt duo Acoluthi, vnus cum thuribulo & igne & nauicula cum incenso & cochleari, alter cum aqua benedicta & aspersorio; deinde duo alij Acoluthi ceroferarij: tum Subdiaconus deferens crucem, & post eum duo iuniores Prælati: deinde duo alij seniores, quorum quilibet prope se habeat vnum Cappellanum superpelliceo indutum, qui de mitra vel bireto sibi inseruiat, & vnum scutiferum, qui cereum accensum portet: demũ sequitur Prælatus, qui Missam celebrauit, quem ad sinistram comitatur & sustinet Diaconus paratus: post eum Sacerdos assistens indutus pluuiali nigro, & alij Cappellani superpelliceis induti: & cum eò peruenerint, ita collocantur.

Acoluthus Thuriferarius cum incenso, & Acoluthus deferens aquam benedictam sistunt se in capite loci parte dextera: duo verò alij Acoluthi seu Ceroferarij, ac Subdiaconus cum cruce vadunt ad pedes feretri, & Subdiaconus cum cruce collocabit se in medio eorum, iunior Prælatus sedebit in scabello in angulo castri doloris ad pedem dexterum; alius post eum in angulo ad humerum sinistrum, tertius in angulo ad pedem sinistrum: quartus, qui erit senior, in angulo ad humerum dexterum: celebrans verò sedebit in faldistorio in capite loci in medio, ita vt crucem directè respiciat. Omnibus sic ordinatis surget celebrans detecto capite, omnibus similiter surgentibus Sacerdote Assistente tenente librum ante pectus, incipiet in tono lectionis absolutè orationem.

NOn intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quoniã nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio:

remissio: non ergo eum tua, quæsumus, iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat; sed gratia tua illi succurrente mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita omnes quinque Prælati sedent coopertis capitibus cum mitris, seu si ijs non vtantur, cum bireto, & Cantores incipiunt Responsorium. Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini: suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Requiem æternã dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Tunc Diaconus & duo Acoluthi, vnus cum thuribulo & nauicula, alter cum aqua benedicta & aspersorio accedent ad angulum dexterum capitis, vbi est dignior Prælatus seu Sacerdos, qui est ad dexteram celebrantis, & se sistunt à dextris illius. Incepto ℣. Requiem æternã &c. Acoluthus dabit nauiculam Diacono, & ipse accedet cum thuribulo ante ipsum digniorem Prælatum, qui ministrante Diacono nauiculam, & dicente, Benedicite Reuer. Pater. Prælatus ipse imponit incensum in thuribulo more consueto, dicens: Ab illo benedicaris in cuius honore cremaberis. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti, ✠ producens signum crucis super incensum thuribulo impositum.

Finito Responsorio chorus cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et cùm incipitur primum Kyrie eleison, surgunt omnes detectis capitibus, & cùm finitum erit vltimum Kyrie eleison, dignior Prælatus seu Sacerdos antedictus dicit voce intelligibili, Pater noster. quod secretè complet. Et interim accipiens aspersorium cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit feretrum seu lectum mortui vel sepulturam, circumcirca ambulans, incipiens à sua parte dextera, ad latus suum sinistrum, tertiò aspergens quamlibet partem feretri seu lecti, Diacono à sinistris comitante, & fimbrias pluuialis eleuante. Et dum transit ante alios Prælatos, illos salutat: & similiter facit reuerentiam cruci, profundè inclinando caput, transiens ante illam ad pedes lecti. Et postquàm cum aspersorio circumierit feretrum seu lectum, & ad locum suum redierit, reddit aspersorium Diacono, & is Acolutho seruienti de aqua benedicta: ac ibidem ab eodem accipit thuribulum, & feretrum seu lectum similiter circumcirca thurificat, tertiò in qualibet parte thuribulum ducens.

Diaconus verò qui simul pergit, semper cùm transit ante crucem genuflectit, & Prælatis seu Sacerdotibus facit reuerentiam; & tam ad aspersionem, quàm ad incensationem pluuiale ad dextrum humerum ipsius Prælati eleuat: & cùm ei aspersorium porrigit aut thuribulum.

ribulum, & ab eo recipit, manum eius osculatur.

Cùm autem post thurificationem Prælatus redierit ad locum suum, reddit thuribulum Diacono, & is Acolutho thuriferario, & stans ante scabellum intelligibili seu clara voce dicet sequentes Versus.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius; te supplices deprecamur, vt suscipi iubeas animam famuli tui N. per manus sanctorum Angelorum deducendam in sinu amici tui Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamq. in nouissimo Iudicij magni die: & quicquid vitiorum, diabolo fallente, contraxit, tu pius & misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et ea finita, omnes Prælati sedent cum mitra seu bireto vt suprà, & chorus cantat Responsorium.

Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum: Tu ei Domine dona requiem & locum indulgentiæ. ℣. Qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.

Tu ei Domine dona requiem & locum indulgentiæ.

℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Tu ei Domine dona requiem & locum indulgentiæ.

Interim cùm dicitur Responsorium, Diaconus & duo Acoluthi vnus cum thuribulo & nauicula, & alter cum aqua benedicta & aspersorio, accedunt ad secundum digniorem seu seniorem Prælatum sedentem in angulo ad sinistrum pedem, & se ad eius dexteram collocabunt. Incepto ℣. Requiem æternam. Acoluthus dabit nauiculam Diacono, & ipse accedet cum thuribulo ad antedictum secundum digniorem Prælatum, qui ministrante Diacono nauiculam, & dicente:

Benedicite Reu. Pater. respondet,

Ab illo benedicaris &c. vt suprà. ac imponet incensum in thuribulo vt suprà.

Finito Responsorio chorus cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et dum dicitur primum Kyrie eleison, surgunt omnes Prælati, seu Sacerdotes, detectis capitibus, & dicto vltimo Kyrie eleison, prædictus secundus dignior Prælatus, dicit voce intelligibili, Pater noster. quod secretè complet: & interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit feretrum seu lectum mortui, siue sepulturam circumcirca, ambulans à sua parte dextera [illegible] aspergens quamlibet feretri seu lecti partem, Diacono à siniss[illegible]

fimbrias pluuialis ſubleuante. Et dum tranſibit ante alios Prælatos illos ſalutabit: & ſimiliter cruci reuerentiam faciet, tranſiens ante illam ad pedes feretri ſeu lecti. Poſtquàm cum aſperſorio circumierit feretrum ſeu lectum, & ad locum ſuum redierit, illud reddit Diacono, & is Acolutho deſeruienti de aqua benedicta: & ibidem ab eodem Diacono accipiet thuribulum, & lectum ſimiliter circumcirca thurificabit, tertiò in qualibet parte thuribulum ducens. Et cùm redierit poſt thurificationem ad locum ſuum, illud reddit Diacono, & is Acolutho ſeruienti de thuribulo, & ſtans ante ſcabellum intelligibili voce dicet:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

FAc quæſumus Domine, hanc cum ſeruo tuo N. defuncto miſericordiam; vt factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: vt ſicut hîc eum vera fides iunxit fidelium turmis; ita eum illic tua miſeratio ſociet Angelicis choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Qua finita omnes Prælati ſimiliter ſedent cum mitra, vel bireto, ſi ea non vtantur, & chorus cantat Reſponſorium.

Domine quando veneris iudicare terram, vbi me abſcondam à vultu iræ tuæ? Quia peccaui nimis in vita mea.
℣. Commiſſa mea paueſco, & ante te erubeſco: dum veneris iudicare, noli me condemnare.
Quia peccaui nimis in vita mea.
℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Quia peccaui nimis in vita mea.

Incepto Reſponſorio Diaconus & duo Acoluthi, vnus cum thuribulo & nauicula, & alter cum aqua benedicta & aſperſorio, accedent ad tertium Prælatum, ſedentem in angulo ad ſiniſtrum humerum, & ſe ad eius dexteram collocabunt. Et dum dicitur ℣. Requiem æternã &c. Acoluthus dabit nauiculam Diacono, & ipſe accedet cum thuribulo ante dictum tertium Prælatum, qui miniſtrante Diacono nauiculam & dicente, Benedicite Reu. Pater. reſpondet. Ab illo benedicaris &c. & imponet incenſum in thuribulo, producens ſignum crucis ſuper incenſum poſitum in eo. Et finito Reſponſorio chorus cantat:

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Et cùm dicitur primum Kyrie eleiſon, ſurgunt omnes detectis capitibus, & dicto vltimo Kyrie eleiſon, idem tertius Prælatus dicit clara voce, Pater noſter. quod ſecretè complet. Et interim accepto aſperſorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aſpergit feretrum ſeu lectum,

ctum, aut sepulturam, circumcirca ambulans, incipiens à sua parte dextera; tertiò aspergens quamlibet feretri seu lecti partem, Diacono à sinistris comitante, & fimbrias pluuialis subleuante. Et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, & similiter cruci reuerentiam faciet transiens ante illam ad pedes lecti.
Postquàm cum aspersorio circumierit feretrum seu lectum, & ad locum suum redierit, reddit aspersorium, & ibidem ab eodem Diacono accipiet thuribulum, & feretrum seu lectum similiter circumcirca thurificabit, tertiò in qualibet parte thuribulum ducens. Et cùm redierit post thurificationem ad locum suum, reddit thuribulum Diacono, & is Acolutho, & stans ante scabellum, intelligibili seu clara voce dicet:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, vt animàm famuli tui N. quam de hoc seculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Deinde omnes Prælati sedent cum mitra, vel bireto, si ea non vtantur: & chorus cantat Responsorium:

Ne recorderis peccata mea Domine: Dum veneris iudicare seculum per ignem.
℣. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.
Dum veneris iudicare seculum per ignem.
℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Dum veneris iudicare seculum per ignem.

Tunc dicti Diaconus & duo Acoluthi alter cum thuribulo & nauicula, & alter cum aqua benedicta & aspersorio accedent ad quartum & iuniorem Prælatum sedentem in angulo ad dexterum pedem, & se ad eius dexteram collocabunt.
Incepto ℣. Requiem æternam &c. Acoluthus dabit nauiculam Diacono, & ipse accedet cum thuribulo ad dictum iuniorem Prælatum, qui ministrante Diacono nauiculam, & dicente: Benedicite Reu. Pater, respondebit, Ab illo benedicaris &c. & imponet thus in thuribulum, vt suprà.
Et cùm dicitur primum Kyrie eleison, surgunt omnes Prælati detectis capitibus; & dicto vltimo Kyrie eleison, idem quartus Prælatus intelligibili seu clara voce dicit, Pater noster. quod secretè complet.

Et

Et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit feretrum seu lectum circumcirca ambulans, incipiens à sua parte dextra: tertiò aspergens quamlibet feretri seu lecti partem, Diacono à sinistris comitante & fimbrias pluuialis subleuante. Et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit: & similiter cruci profundè reuerentiam faciet, transiens ante illam ad pedes feretri seu lecti. Postquàm cum aspersorio circumierit feretrum seu lectum, & ad locum suum redierit, illud reddet, ac ibidem ab eodem Diacono accipiet thuribulum, & feretrum seu lectum circumcirca thurificabit, tertiò in qualibet parte, thuribulum ducens. Et cùm redierit post thurificationem ad locum suum, reddet illud; & stans ante scabellum intelligibili voce dicet.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Absolue quæsumus Domine animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum; vt in resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita omnes Prælati similiter sedent cum mitra, vel bireto, vt suprà: & chorus cantat Responsorium.

Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda: Quando cœli mouendi sunt & terra. Dum veneris iudicare seculum per ignem.
℣. Tremens factus sum ego, & timeo dum discussio venerit, atque ventura ira.
Quando cœli mouendi sunt & terra.
℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valdè.
Dum veneris iudicare seculum per ignem.
℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.
Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda: Quando cœli mouendi sunt & terra: Dum veneris iudicare seculum per ignem.

Tunc Diaconus & duo illi Acoluthi, vnus cum thuribulo & nauicula, & alter cum aqua benedicta & aspersorio, accedent ad dexteram Prælati qui Missam celebrauit, & incœpto ℣ Requiem æternam, &c. Acoluthus dabit nauiculam Diacono, & ipse accedet cum thuribulo ante dictum Prælatum, qui ministrante Diacono nauiculam & dicente: Benedicite Reuer. Pater, respondet, Ab illo benedicaris &c. & imponet incensum in thuribulo. Et finito Responsorio chorus cantat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Et cùm dicitur primum Kyrie eleison, surgunt omnes detectis capitibus: & dicto vltimo Kyrie eleison, idem Prælatus dicit voce intelligibili, Pater noster.

Quod secretò complet; & interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit feretrum seu lectum siue sepulturam, ambulans circumcirca, incipiens à sua parte dextera; tertiò aspergens quamlibet feretri seu lecti partem, Diacono à sinistris comitante, & fimbrias pluuialis subleuante. Et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit: & similiter cruci reuerentiam faciet transiens ante illam ad pedes lecti.

Et postquàm cum aspersorio circumierit feretrum seu lectum, & ad locum suum redierit, reddit aspersorium, & ibidem ab eodem Diacono accipiet thuribulum: & feretrum seu lectum similiter circumcirca thurificabit, tertiò in qualibet parte thuribulum ducens. Et cùm redierit post thurificationem ad locum suum, reddit thuribulum; & stans ante faldistorium Sacerdote Assistente, librum ante pectus tenente, intelligibili voce dicet:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationē meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui N. vt defunctus seculo tibi viuat, & peccata, quæ per fragilitatem carnis humana conuersatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicit idem Pontifex, seu Prælatus.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

Tum duo ex cantoribus dicunt alta voce:

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

Quo dicto Pontifices seu Prælati ipsi, qui mitris vtuntur, illas recipiūt, alij verò biretum, & omnes eo ordine quo venerunt, reuertuntur ad Sacristiam, vel alium idoneum locum, vbi deponunt sacras vestes, & ad propria quisque reuertitur.

Absolutiones istas quinque, non semper in omnibus exequijs fieri conuenit; sed tantùm in primis exequijs, quæ post obitum solenniter fieri consueuerunt.

In exequijs verò anniuersarijs fieri non debent huiusmodi quinque absolutiones, sed vna tantùm absolutio per Prælatum seu Sacerdotem qui celebrauit, post Missam, vt superiùs dictum est.

Diuersæ aliquot orationes pro defunctis, quæ etiam habentur in Missali Romano reformato cum suis secretis, & Postcomm. dicendis in Missa de Requiem æternam.

In officio communi seu generali & in Missa quotidiana & generali pro defunctis, dicuntur infrascriptæ tres orationes, videlicet:

Pro defunctis Episcopis & Sacerdotibus.

DEus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Pro defunctis fratribus, propinquis & benefactoribus.

DEus veniæ largitor & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc seculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas.

Pro fidelibus defunctis generalis.

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumq. tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis & regnas in secula seculorum. ℟. Amen.

Et hæ quidem singulæ traduntur alijs in locis. Nam prima

Deus qui inter Apostolicos &c. dicitur pro omnibus Episcopis & Sacerdotibus in numero plurali, vt iacet; vel etiam in numero singulari pro defuncto Episcopo, vel Episcopo Cardinali, vel alio maiore Prælato in Pontificali dignitate constituto, vt

DEus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere; præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Vel etiam pro Presbytero seu simplici Sacerdote, vt pro Presbytero Cardinale, vt

Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Sacerdotali fecisti dignitate vigere, &c. & omittitur Pontificali seu. Et si fuerit Diaconus, potest dici Diaconali fecisti &c.

Et si fuerint plures, dicatur in numero plurali, sicut in quarta Missa quotidiana.

Secunda verò oratio pro defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus, similiter potest dici seorsùm & sola.

Tertia autem, Fidelium Deus omnium conditor & redemptor. est specialis oratio in die commemorationis omnium fidelium defunctorum; & quæ etiam potest dici generaliter sola & seorsùm.

In die obitus vel depositionis defuncti vel defunctæ.

DEus cui proprium est misereri semper & parcere: te supplices exoramus, pro anima famuli tui, vel famulæ tuæ N. quam de hoc seculo ho-

lo hodie migrare iussisti: vt non tradas eam in manibus inimici, neque obliuiscaris in finem; sed iubeas eam à sanctis Angelis suscipi, & ad patriam paradisi perduci: vt quia in te sperauit & credidit, non pœnas æternas sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

In eodem die obitus seu depositionis.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui N. vt defunctus seculo tibi viuat: & quæ per fragilitatem carnis humana conuersatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

In die tertio, septimo, vel trigesimo depositionis defuncti. Oratio.

QVæsumus Domine, vt animæ famuli tui N. cuius depositionis diem tertium vel septimum vel trigesimum commemoramus, Sanctorum atque electorum tuorum largiri digneris consortium, & rorem misericordiæ tuæ perennem infundas. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti.

Idem si fiat de nono, vndecimo, vigesimo, quinquagesimo, septuagesimo, vel alio die.

In anniuersario plurium defunctorum. Oratio.

DEus indulgentiarum Domine da animabus famulorum, famularumq; tuarum, quorum anniuersarium depositionis diem commemoramus, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum nostrum &c.

Si pro vno defuncto fiat anniuersarium, prædicta oratio dicatur in numero singulari.

In die depositionis & anniuersario summi Romani Pontificis dicitur prima Missa de Requiem cum Oratione.

DEus, qui inter summos Sacerdotes famulum tuum N. ineffabili tua dispositione connumerari voluisti, præsta quæsumus, vt qui vnigeniti filij tui vices in terris gerebat, sanctorum tuorum Pontificum consortio perpetuò aggregetur. Per eundem Dominum.

Et in Missa cum sua Secreta & Postcommun. vt in Missali.

Alia pro defuncto Episcopo.

DA nobis Domine vt animam famuli tui N. Episcopi, quam de huius seculi eduxisti laborioso certamine, Sanctorum tuorum cœtui tribuas esse consortem. Per.

Alia pro defuncto Sacerdote.

PRæsta quæsumus Domine, vt anima famuli tui Sacerdotis, quem in hoc seculo commorantem sacris muneribus decorasti, in cœlesti sede gloriosa semper exultet. Per Dominum.

Pro patre & matre Sacerdotis celebrantis. Oratio.

DEus, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris & matris meæ, eorumq. peccata dimitte, meq;

meq. eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti.

Pro patre tantùm. Oratio.

DEus, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti, miserere clementer animæ patris mei vel nostri, eiusq. peccata dimitte, meq. eum in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Pro matre tantùm. Oratio.

DEus, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti, miserere clementer animæ matris meæ vel nostræ, eiusq. peccata dimitte, meq. eam in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Pro pluribus parentibus & suis, & aliorum.
Oratio.

DEus, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus parentum nostrorum, eorumq. peccata dimitte, nosq. eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti.

Pro vno defuncto. Oratio.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur; vt animam famuli tui N. quam de hoc seculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, ac Sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Pro vna defuncta. Oratio.

QVæsumus Domine pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ N. & à contagijs mortalitatis exutam, in æternæ saluationis partem restitue. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat.

Pro his qui in cœmeterio requiescunt.
Oratio.

DEus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt: famulis & famulabus tuis omnibus hîc & vbique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum; vt à cunctis reatibus absoluti tecum sine fine lætentur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Pro pluribus defunctis. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, cui nunquàm sine spe misericordiæ supplicatur: propitiare animabus famulorum famularumq. tuarum, vt qui de hac vita in tui nominis confessione decesserunt, Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Item pro pluribus defunctis. Oratio.

DEus cui proprium est misereri semper & parcere: propitiare animabus famulorum, famularumq. tuarum, & omnia eorum peccata dimitte; vt mortalitatis vinculis absolutæ transire mereantur ad vitam. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Quando dictæ orationes dicuntur extra Missam, non concluduntur Per Dominum nostrum &c. sed, Per Christum Dominum nostrum, vel, Per eundem Christum Dominum nostrum. ℞. Amen. nisi vbi dicendum est, Qui viuis & regnas in secula seculorum. ℞. Amen. sicut in oratione, Fidelium omnium. in qua tamen in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, dicitur, Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate &c.

Ac in fine earundem orationum, quando dicuntur extra Missam, subiungatur.

℣. Requiem æternam dona ei Domine, vel eis, Domine.
℞. Et lux perpetua luceat ei, vel eis.
℣. Requiescat vel Requiescant in pace.
℞. Amen.

De diebus, qui sunt in obseruatione pro fidelibus defunctis.

Quoniam de officijs, quibusdam diebus pro fidelibus defunctis peragendis, suprà mentio facta est, operæpretium videtur, vt de diebus qui sunt, ac olim fuerunt in obseruatione pro animabus defunctorum specialis mentio fiat.

De die sepulturæ.



T primum quidem diem qui obitus seu depositionis dicitur, omnibus gentibus non solùm fidelibus tam in nouo quàm in veteri Testamento; sed etiam infidelibus & barbaris nationibus celebrem in luctu esse notissimum est; de quo B. Gregorius Nazianzenus in oratione pro Cæsario fratre, dum de exequijs præsentibus agit.

De die Tertio.

DIes Tertius religiosus est pro defunctis vsu Catholicæ Ecclesiæ & auctoritate multorum Sanctorum. Nam & Clemens I. lib. viij. Constitut. Apostolicarum cap. xlviij. Quomodo oporteat & quando fidelium defunctorum memorias celebrare, & quòd de facultatibus ipsorum erogandum sit pauperibus, dicit:
Peragatur dies Tertius mortuorum in Psalmis & Lectionibus atque orationibus propter eum, qui tertia die resurrexit. Item Nonus in commendationem superstitum atque defunctorum: Etiam Quadragesimus secundùm veterem formam. Mosen enim hoc modo populus luxit: Necnon Anniuersarium pro memoria ipsius, deturq. de illius facultatibus pauperibus in commemorationem ipsius. Et subdit cap. xlix. Quòd impios morientes nihil iuuant memoriæ vel mandata. Hæc de pijs dicimus: nam de impijs, etsi omnes mundi facultates dares pauperibus, tamen nihil eis prodesses. Nam cui viuo infensus erat Deus, certè eidem mortuo est iratus; non est enim iniustitia apud eum. Iustus est enim Dominus, & iustitias dilexit. Et ecce homo & opus eius.

Et S. Ambrosius in oratione De obitu Theodosij in princ. dicit: Quia alij Tertium diem, alij Tricesimum, alij Septimum, alij Quadragesimum obseruare consueuerunt, quid doceat lectio consideremus. Et habetur apud Gratianum xiij. q. ij. Quia alij: licet alia lectio textus S. Ambrosij habeat: Quia alij tertium diem & trigesimum; alij septimum & quadragesimum obseruare consueuerunt &c.

Concilium Nannetense cap. x. vt refertur apud Gratianum cap. Nullus presbyterorum. dist. xliiij. & repetitur de consecrat. dist. v. cap. Nullus presbyterorum. & habetur apud Burchardum lib. ij. cap. clxj. & Iuonem parte sexta, cap. cclij. dicit:
Nullus presbyterorum quando ad Anniuersariũ diem, Trigesimum aut Septimum vel Tertium alicuius defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam presbyteri conuenerit, se inebriare vllatenus præsumat &c.
Licet hoc Concilium non habeamus, sed aliud Nannetense post Triburiense, sub Arnulpho Imp. Tomo iij. Conciliorum, vbi tale decretum non habetur.

S. Ioannes Damascenus in oratione pro fidelibus defunctis, vbi de die Tertio, Nono, Quadragesimo & Anniuersario.
Hoc, inquam, misericors ille vult, gratumq. habet, vt nos omnes tum in vita, tum post confectum vitæ curriculum, mutuò alij ab alijs iuuemur. Neque enim alioqui ansam hanc nobis porrexisset, vt eorum, qui è vita migrassent, in incruento sacrificio meminissemus, neque vt Tertio & Nono & Quadragesimo die, ac denique Anno vertente in eorum memoriam sacra obiremus (quæ quidem citra vllam controuersiam Catholica & Apostolica Ecclesia diuinitusq. collectus ipsius populus constan-

ter

ter ac sine vlla ambiguitate retinet) nisi hoc in ipsius oculis rectum esset. Non enim dubium est, quin si ridiculum id esset, fructusq. atque vtilitatis expers, cùm multi diuino numine afflati sancti viri Patriarchæ patres ac magistri extiterint, hoc cuipiam eorum in animum iniecisset, vt errorem comprimeret. Atqui nemo ipsorum ritum hunc sibi vnquàm conuellendum & euertendum putauit; imo verò confirmauit, indiesq. res hæc augetur, ac nouas subinde accessiones facit &c.

Et idem Damascenus in eadem oratione inferiùs de eisdem diebus ita loquitur:

Etenim quæ tandem necessitas homines animi imbecillitate præditos adducet, vt excitentur atque istud munus expleant, nisi compertissimum habeant fore, vt de propinquis atque amicis suis benè mereantur? Quin pauperum quoque portiones in testamentis ascribi desinent, simulq. etiam & Missæ pro mortuis, & hymnorum ac psalmorum cantus finem habituri sunt, & Quadragesima cum Tertijs ac Nonis, & Anniuersariæ commemorationes & cæremoniæ, quæ quidem à magistris haud frustra inuentæ ac moribus receptæ sunt. Absit autem vt quicquam horum vllo modo vel sentiamus vel suscipiamus. Hæc ibi.

Triodion quoque Græcorum in Sabbato Sexagesimæ ad finem ita habet:

Tertium quoque diem peragimus, quoniam tertio die, scilicet post mortem, aspectus hominis immutatur. Nonum prætereà diem celebramus, quoniam tunc temporis tota corporis compago dissoluitur, integro adhuc corde permanente, quod cum quadragesimo die tandem corrumpatur, quadragesimo etiam die fit commemoratio: hoc namque ordine ipsa hominis generatio procedit. Tertio siquidem die cor ipsum formatur: septimo verò die caro conglutinatur: quadragesimo autem die perfectam suscipit formam. Quapropter his diebus fit etiam commemoratio pro fidelium animabus, quas Christe Domine in tabernaculis iustorum tuorum collocare digneris & nostri miserere, cùm tu solus immortalis existas. Amen.

Alcuinus de diuinis officijs tit. De exequijs mortuorum, &c. ibi. Quapropter ritè celebrantur hi tres dies generaliter ab omnibus infra trigesimam, qui vocantur tertius, septimus, atque trigesimus. De tertio enim die, seu septimo ita habetur in libro Numerorum: Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc fuerit immundus septem
Num. 19. b diebus, aspergatur aqua lustrationis die tertia & septima, & sic mundabitur. Immunditia hęc pro tactu cadaueris animam pollutam significat operibus mortuis, & quia neglexit cultum Dei in cogitatione, in vita, & in intellectu, humiliter confitendo offerimus sacrificium Deo tertia die, quatenus ab his peccatis purgetur. In expiatione verò diei tertij commendati defuncti, possumus ad memoriam reducere tertiam diem resurrectionis Domini, in qua deuotiùs est generaliter supplicandum.

Idem Alcuinus tit. seq. & vlt. inscripto, Item breuiter de tertia, septima, & tricesima die pro defunctis, repetit eadem de dictis diebus, reddens rationem cur in eis agatur officium pro defunctis. Et de tertia quidem die dicitur: Tertia dies specialiter pro animæ absolutione celebratur, quia videlicet triplicis est naturæ, irascibilis, concupiscibilis, & rationalis, & quia ingenio viget, intellectu & memoria. Propter hoc igitur sacrificium die tertia peragitur, vt si quid temulentum ex carnis cohabitatione contraxit, obliteretur, & sanctæ Trinitatis similitudo reparetur.

Amalarius Fortunatus de Ecclesiasticis officijs libro iij. cap. xliiij. & vlt. De Missa pro mortuis.

Solemus eorum memorias generaliter celebrare tertia & septima, & tricesima die &c. & assignat rationem &c. Vbi etiam dicit. Sed quod agitur vt tertia & septima, & tricesima die, publicè agitur, & generaliter ab omnibus amicis.

Et infra. Quibus suffragia prosunt. ex B. Augustino.

Et idem libro iiij. cap. xlij. De officijs mortuorum, dicit: De tertia die, septima, & tricesima; & exponit causas vnde auctoritatem habeant, & quòd per hoc non excluditur, vt cæteris diebus non oretur pro defunctis, & ponit auctoritatem de tertia die &c. dicit autem sic.

Habemus scriptum in quodam Sacramentario, quòd officia mortuorum agenda sunt

ſunt circa tertiam diem & ſeptimam & triceſimam. Quod non ita intelligo quaſi ille qui tertia die agere vult officia mortuorum debeat prætermittere priores duos dies ſine ſupplicationibus &c. quæ referuntur infrà De omnibus diebus, & quotidie. Et paulò infrà. De his tribus terminis ponemus auctoritatem ſanctarum ſcripturarum. Dicitur in libro *Sapientiæ de exequijs: Fili in mortuum produc lacrymas,* Eccli.38.b & quaſi dira paſſus, incipe plorare, & ſecundùm iudicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius. Propter delaturam autem amarè fer luctum illius vna die, & conſolare propter triſtitiam, & fac luctum ſecundùm meritum illius vno die vel duobus propter detractionem. Vbi primò dixit, propter delaturam vno die ferre luctum, & poſteà propter detractionem vno vel duobus diebus, tres dies introducit in luctum. Poſſumus per tertiam diem commendati defuncti, tertiam diem reſurrectionis Domini ad memoriam reducere, vt eo dierum numero deprecemur pro noſtro defuncto, quatenus mereatur per remiſſionem peccatorum particeps fieri reſurrectionis Chriſti. Pro qua re triduanum ieiunium Niniuitæ fecerunt ſecundùm Septuaginta, vt in Chriſti glorificatione per reſurrectionem ex mortuis delerentur peccata eorum. Vnde dicit Auguſtinus in libro Quæſtionum Geneſis: Ionæ 3. Nec ſeptuaginta Interpretes, quos legere conſueuit Eccleſia, erraſſe credendi ſunt, vt non dicerent quadraginta dies, ſed triduum & Niniue euertetur. Et poſt pauca. Triduum poſuerunt, quamuis non ignorarent, quòd dies quadraginta in Hebræis Codicibus legerentur, vt in Domini noſtri Ieſu Chriſti clarificatione intelligerentur diſſolui aboleriq. peccata. De quo dictum eſt: Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Clarificatio autem Domini & in reſurrectione, & in cœlos aſcenſione cognoſcitur. Secunda igitur &c.

Ioan. Beleth de diuinis officijs cap. clx. dicit. Quidam tamen tribus diebus hoc faciunt, vt in eo triduana Chriſti ſepultura repræſentetur, & quod viuus peccauerit cogitatione, verbo, & opere, mortuo remittatur.

Gulielmus Durandus libro vij. Rationalis cap. xxxv. De officio mortuorum, num. 4. Oſtendit exemplo filiorum Iacob & aliorum ex ſacra Scriptura officium mortuorum initium habuiſſe in veteri lege; Et ſubdit, quòd quidam faciunt memoriam pro defunctis die tertio, ſeu per tres dies, repræſentantes triduanam Domini ſepulturam, ſeu reſpectum habentes ad reſurrectionem Chriſti, qui tertia die reſurrexit: reſurrectionem cum Chriſto mortuis peroptantes; ſeu ad Trinitatem, vel vt quæ viuentes tripliciter peccauerunt, videlicet cogitatione, verbo, & opere, remittantur eiſdem.

De die ſeptimo.

Dies Septimus celebrior quidem eſt & frequentior iuxta Sapientem: Luctus mortui ſeptem dies; fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum. Et meritò, vt inquit Amalarius de Eccleſiaſticis officijs libro iiij. De Miſſa pro mortuis, cap. xliiij. Eccli.22.b ſcriptum eſt in libro Numerorum: Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc Num.19. fuerit immundus ſeptem dies, aſpergetur ex hac aqua die tertia & ſeptima, & ſic mundabitur. Etiam in exequijs auctoritate diuinæ ſcripturæ in morte Iacob. Cum Gen.50.b Ioſeph & fratres eius, & ſenes domus Pharaonis, & maiores natu Aegypti comitati funus Iacob vſque ad Aream Atad, trans Iordanem, in ſpelunca duplici, vbi ſepelierunt illum, celebrantes exequias eius planctu magno atque vehementi impleuerunt ſeptem dies. Et poſt mortem Saul, & trium filiorum, viri fortiſſimi Iabes Galaad 1.Reg.31.c ſurrexerunt & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan, vbi Philiſtæi ſuſpenderant ea, & combuſſerunt ea ibi igne, & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus.

Et populus luxit Iudith diebus ſeptem. Iudith 16.in fine.

S. Ambroſius in oratione vbi ſuprà. Et quia alij tertium diem, & triceſimum, alij ſeptimum, & quadrageſimum obſeruare conſueuerunt, vt ſuprà.

S.Au-

S. Augustinus in libris quæstionum in vetus Testamentum libro primo super Genesim, ad fin. siue cap.clxxij. ex Genesis 50. de Ioseph dicit: Et fecit luctum patri suo septem dies &c. Et iterum: Septimus verò dies auctoritatem in scripturis habet. Vnde alio loco scriptum est: Luctus mortui septem dierum: fatui autem omnes dies vitæ eius. Septenarius autem numerus, propter Sabbati sacramentum, præcipuè quietis indicium est: Vnde meritò mortuis tanquàm requiescentibus exhibetur. Quem tamen numerum in luctu Iacob decuplauerunt Aegyptij, qui eum lxx. diebus luxerũt.

Eccli. 22. b

Concilium Nannetense, ibi, aut Septimum, vbi suprà.

Alcuinus tit. De exequijs mortuorum vbi proximè. De Tertio die seu Septimo &c.

Gen. 50. b Et infrà. De septimo verò die habemus auctoritatem in libro Geneseos: mortuo etenim Iacob in Aegypto & translato à Ioseph trans Iordanem cum comitatu maximo, celebrauerunt ibidem exequias cum planctu magno, & fecerunt septem dies.

Eccli. 22. b Et alibi: Luctus mortui septem dies, fatui autem omnes dies.

Et paulò post. Sanè septimus dies in scripturis auctoritatem habet, quia septenarius numerus propter Sabbati sacramentum præcipuè quietis indicium est. Vnde meritò mortuis tanquàm quiescentibus exhibetur.

Idem tit. seq. & vltimo dicit: Dies septimus nihilominus officijs deputatur eisdem, vt anima suo corpori reconcilietur. Septenarius namque numerus ex ternario constat & quaternario, & ternarius animæ tribuitur, quaternarius corpori deputatur, propter quatuor notissimos quibus constat humores. Est ergo quasi quædam rixa corporis & animæ, quæ carne illiciente, eamq́. suis illecebris attrahente peccauit. Vt ergo anima suo corpori pacificetur, holocaustum septima die peragitur. Ad hoc fortè pertinet, quod in libro Ecclesiastico dicitur: Luctus mortui septem dies: Luctus autem fatui omnes dies eius vitæ. Hæc de tertia & septima die auctoritatiuè breuiter diximus.

Amalarius de Ecclesiasticis officijs libro iij. cap. xliiij. seu vlt. De Missa pro mortuis. & libro iiij. cap. xlij. De officijs mortuorum, vbi de agendis officijs mortuorum in tertia die & septima & tricesima.

Et infrà. Secunda igitur celebratio pro defunctis in septimo die, habet auctoritatem in Genesi memorato. Habuit quoque, inquit, Ioseph in comitatu currus & equites, & facta est turba non modica. Veneruntq́. ad aream, quæ sita est trans Iordanem, vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies. Vnde memoratus Augustinus in memorato libro Quæstionum scribit: Et fecit luctum patri suo septem dies &c. Et paulò infrà. Septimus verò dies auctoritatem in scripturis habet. Vnde alio loco scriptum est: Luctus mortui septem dierum: fatui autem omnes dies vitæ eius. Septenarius autem numerus propter Sabbati sacramentum præcipuè quietis indicium est. Vnde meritò mortuis tanquàm requiescentibus exhibetur, &c.

Honorius III. in decretali, Cùm inter vos. de verb. signific. meminit de ijs quæ offeruntur pro Missis mortuorum Sacerdotibus, & quæ pro septimis & tricesimis, & anniuersarijs, panibus & alijs.

Et in alia decretali sua, Ex parte vestra iij. eodem tit. De ijs quę pro anniuersario, septimo, tricesimo ac vicesimo faciendis &c. à quocunque legantur. Et

Gregorius IX. in decretali vlt. De testam. etiam meminit de anniuersario, septimo, vicesimo, & tricesimo die, dum declarat, vt de his, quæ in ornamentis, vel pro cereis seu fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vicesimo, tricesimo die, siue alijs ad perpetuum cultum diuinum legantur Ecclesijs, vel reliquis pijs locis, canonica portio (dummodò in fraudem non fiat, vt ea Episcopus seu parochialis Ecclesia debeat defraudari) deduci non debet.

Io. Beleth de diuinis officijs citato cap. clx. De institutione officij, scilicet mortuorum, ex sacris scripturis docet de obseruatione diei septimi & tricesimi, & infert. Septenarius igitur mortuorum luctus & tricenarius à veteri Testamento sumpsit exordium: quemadmodùm enim Iacob filij fleuerunt septem diebus, & Moysen triginta;

ita quoque Ecclesia quandoque septem diebus, quandoque triginta mortuorum suorum celebrat officium. Notemus interim quatuor modis subueniri mortuis, oratione videlicet, amicorum eleemosyna, cognatorum ieiunio, & Missarum celebratione &c. Et post pauca. Septem ergo diebus nostris mortuis officium facimus, vt ad Sabbatum animarum citiùs valeant peruenire, aut certè propter septenarium animæ & corporis. Habet enim anima tres potissimum proprietates, vti nimirùm ratione, concupiscere & irasci. Corpus verò ex quatuor constat elementis. Vt itaque peccata quæ homo commisit per hæc septem deleantur, septenarium mortuis celebramus.

Durandus citato cap.xxxv. Alij verò faciunt Missam celebrari septem diebus, seu per septem dies, & vtrumque ostenditur in lib. Num. 19. cap. vbi dicitur; quod qui tetigerit cadauer mortui hominis, immūdus erit septem diebus. Vnde aspergatur aqua die tertia & septima, & sic mundabitur, de consecr. dist. 1. Aqua. Sanè immundus propter cadauer mortui hominis significat pollutam animam propter mortua opera. Celebratur ergo per septem dies, primò vt defunctus &c. & assignat quatuor rationes, quæ ponuntur suprà à Beleth.

De die Nono.

DIes Nonus in vsu fuit apud veteres, præsertim Græcos, vt apud S. Clementem libro viij. constitutionum citato cap. xlviij. & apud Io. Damascenum in prædicta oratione pro fidelibus defunctis semel & iterum de die tertio, nono, & quadragesimo, & anniuersario. Atque etiam hodie apud eosdem Græcos, & in ipsorum Triodio in Sabbato Dominicæ sexagesimæ dicitur: Nonum præterea diem celebramus, quoniam tunc temporis tota corporis compago dissoluitur, integro adhuc corde &c. vt suprà de die tertio relatum est.

Dixi præsertim Græcos, quia reuera communiter apud Latinos in Missalibus, Pontificalibus, & alijs sacris codicibus non reperitur Missa seu commemoratio pro defunctis in die nono, sed potissimùm in die tertio, septimo, vel tricesimo.

Quare S. Augustinus in libris Quæstionum in vetus Testamentum, libro primo super Genesim ad finem, siue cap. clxxij. Tomo iiij. ita dicit de Ioseph ex Genesis 50. Et fecit luctum patri suo septem dies. Nescio vtrum inueniatur alicui Sanctorum in scripturis celebratum esse luctum nouem dies, quod apud Latinos Nouendial appellant. Vnde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum seruant, qui magis est in gentilium cōsuetudine &c. Et ei subscribunt.

Alcuinus de diuinis officijs, cap. De exequijs mortuorum, ibi, Quod autem apud aliquos Nonus dies celebratur, & vocatur nouendialis, Augustinus in libro Quæstionum (scilicet veteris Testamenti primo super Genesim) redarguit: maximè cùm nullus Sanctorum hoc fecisse probatur; cùm sit consuetudo gentilium. Et

Amalarius Fortunatus libro iij. De Ecclesiasticis officijs cap. xliiij. De Missa pro mortuis, & libro iiij. cap. xlij. De officijs mortuorum, vbi sic refert illius verba.

Vnde memoratus Augustinus in memorato libro Quæstionum (scilicet super Genesim) de Ioseph scribit: & fecit luctum patri suo septem dies. Nescio vtrum inueniatur alicui Sanctorum in Scripturis celebratū esse luctum nouem dies, quod apud Latinos Nouendia appellant. Vnde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum seruant, qui magis est in gentilium consuetudine.

Io. Beleth citato cap. clx. Quod autem plerique, inquit, officium faciunt nouem dierū, licet ea consideratione hoc faciant, vt per huiusmodi officium illorum mortui à pœnis liberentur, ac nouem ordinibus Angelorum associentur, non tamen approbatur, sed omninò interdicitur; quoniam ab Ethnicis sumptum esse videtur, qui Nono die cineres & busta suorum recondebant. Sicut enim non imitamur Iudæos in celebrando Pascha, ita etiam in hoc officio Ethnicos imitari planè prohibitum est.

Durandus in supracitato cap. xxxv. num. 7. dicit. Quidam autem faciunt Nouendiale, id est officium nouem dierum, vt per hoc officium, mortuorum animæ à pœnis liberatæ, nouem Angelorum ordinibus associentur. Hoc autem à quibusdam non approbatur, ne Gentiles imitari videamur, à quibus hoc sumptum esse videtur, qui nouem diebus lugebant mortuos suos, & in Nono die cineres eorum pyramidibus vel in bustis recondebant.

De Nouendiali autem sacro apud Gentiles pro defunctis celebrato, nihil occurrit, nisi quòd Titus Liuius, libro primo ab Vrbe condita, scribit, quòd deuictis Sabinis, cùm in magna gloria magnisq. opibus regnum Tulli ac tota res Romana esset, nuntiatum Regi Patribusq. est in monte Albano lapidibus pluisse. Quod cum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu haud aliter quàm cùm grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere cœlo lapides, &c. Et paulo infra.

Romanis quoque ab eodem prodigio Nouendiale sacrum publicè susceptum est, seu voce cœlesti ex Albano monte missa: nam id quoque traditur, seu aruspicum monitu. Mansit certè solenne, vt quando id quidem prodigium nunciaretur, feriæ per nouem dies agerentur.

Pace autem B. Augustini & dictorum Patrum, apud Christianos in sancta Romana Ecclesia antiqua consuetudo fuit, vt Nouendiale sacrum in obitu summi Romani Pontificis, & S. R. E. Cardinalium hoc modo celebraretur, scilicet vt per nouem dies exequiæ & Missæ pro anima defuncti quotidie celebrarentur, vt apud Cæremoniale Romanum libro 1. tit. xv. cap. De morte & exequijs Reuerendissimorum Cardinalium, ibi, Præficiantur aliqui, qui teneant computum ceræ, & qui illam subministrent distributoribus, alij qui curent vt Missæ verè & suo ordine legantur, & dent eleemosynam celebrantibus, ordinent qui Cardinalis primam & qui vltimam Missam sit celebraturus, qui Prælati intra Nouenam celebrent, & aliæ Missæ legantur &c.

Et cap. De officio absolutionis circa Castrum doloris.

In prima & nona die, quæ est vltima, in quibus fiunt eædem cæremoniæ, nisi quòd in vltima non fit sermo. Consueuerunt legi in Ecclesia vbi fiunt exequiæ centum quinquaginta Missæ, & datur pro eleemosyna cuique celebranti vnus grossus Papalis, & duæ paruæ candelæ. Alijs septem diebus intra Nouenam, dicuntur centum Missæ quolibet die, & hora competenti cantatur Missa pro defunctis per aliquem Episcopum &c.

Finita Missa intra Nouenam, Prælatus qui celebrauit deponit planetam, & accipit pluuiale &c. & facit vt dictum est de Cardinalibus &c.

Item ibidem. In nona die fit omnino vt in prima, nisi quòd non fit sermo. Cantatur Missa per Cardinalem, & per Cardinales fit absolutio apud Castrum doloris &c.

Et cap. seq. De ægrotatione, morte & exequijs Romani Pontificis.

Interim parantur exequiæ, erigitur Castrum doloris cum lecto & alia fiunt, quæ in exequijs Cardinalium suprà notauimus, sed largiùs & abundantiùs familiares Papæ, officiales Curiæ & Vrbis Officiales, si Romæ sit, vestiuntur panno nigro, vt in libris Cameræ Apostolicæ pleniùs apparet, ad quos vos remittimus. Fiunt largæ eleemosynæ pro anima Pontificis Religiosis viris & mulieribus per Camerarium & Thesaurarium, & maximè si Camera est diues. In prima die exequiarum, legantur ducentæ Missæ cum eleemosyna. Missam solennem cantabit prior Episcoporum Cardinalium, fit sermo de laudibus Pontificis, & in fine fiunt absolutiones à senioribus, vt in exequijs Cardinalium scriptum est. Accenduntur hac die intortitia multa circumcirca in Ecclesia & candelæ supra Castrum doloris, & idem fit in die nono. Missam tunc cantat Subprior Episcoporum Cardinalium. Intra Nouenam quotidie aliquis Cardinalium celebrat, incipiendo à Senioribus post Subpriorem Episcoporum, & leguntur centum Missæ. Intortitia circa Ecclesiam & candelæ supra Castrum doloris non accenduntur: reliqua fiunt vt in primo & nono die. Distributio

ceræ fit quotidie Cardinalibus, Prælatis, familiæ, Curialibus, & alijs qui aderunt: & quotidie fiunt absolutiones à Cardinalibus in fine Missæ circa Castrum doloris. Quotidie post Missam conueniunt Cardinales in loco congruo, consulentes de rebus Ecclesiæ, & ordinantes Conclaue. Nona die post Missam de defunctis, cantatur Missa de Spiritu sancto, & fit sermo exhortatorius ad electionem Pontificis.

Quare licet Nonus dies non videatur in vsu apud Latinam Ecclesiam; nihilominus in sancta Romana Ecclesia, quę mater est omnium Ecclesiarum, fuit, & est in vsu in exequijs Summi Romani Pontificis, & fuit etiam in exequijs S. R. E. Cardinalium per multa secula, etiam continuatis diebus per ipsos nouem dies, vt in Nouendiali priscorum Romanorum. Veruntamen plurimis ab hinc annis propter multos labores, & graues expensas & molestias, quæ fiebant & contingebant, exoleuit consuetudo, vt in obitu eorundem S. R. E. Cardinalium huiusmodi Nouendiales exequiæ fierent: sed retinetur & ad amussim seruatur hodie mos, eas sic celebrandi in morte omnium Romanorum Pontificum.

De die Vigesimo.

Dies vigesimus similiter est in obseruatione pro defunctis.

Honorius Papa III. in præcitata decretali, Ex parte. iij. dicit: Necnon de his quæ pro Anniuersario, septimo, tricesimo, ac vicesimo faciendis à quocunque legantur &c.

Gregorius in decret. vltimâ de testam. (vbi quòd de his, quæ pro anniuersario, septimo, vicesimo, tricesimo die, siue alijs &c. legantur Ecclesijs vel reliquis pijs locis, canonica portio &c. deduci non debet.

De die Tricesimo.

Dies Tricesimus est maximè in vsu. Numer. xx. in fine dicitur, quòd in morte Aaron omnis multitudo filiorum Israel, videns occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus, per cunctas familias suas. Et Deuteron. xxxiiij. In morte Moysi dicitur. Fleueruntq. filij Israel in campestribus Moab triginta diebus, & completi sunt dies planctus lugentium Moysen.

Meminit & S. Ambrosius in oratione De obitu Theodosij, ibi: Quia alij tertium diem & tricesimum, alij septimum & quadragesimum obseruare consueuerunt &c. Et paulò post. Sic etiam in Deuteronomio scriptum est: Quia planxerunt filij Israel Moysen diebus triginta, & consummati sunt dies luctus. Vtraque ergo obseruatio habet auctoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium &c.

Et habetur apud Gratianum citato cap. Quia alij. xiij. q. ij.

Concilium Nannetense, apud eundem vtrobique dist. xliiij. & de consecrat. distinct. v. ibi, tricesimum.

Nullus presbyterorum quando ad anniuersarium diem, tricesimum, aut septimum, vel tertium alicuius defuncti &c. conuenerit, se inebriare vllatenus præsumat.

Alcuinus de exequijs mortuorum & eorum commemoratione. De tricesima, inquit, die scriptum est in libro Numerorum: Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus; & Moysen fleuerunt filij Israel in campestribus Moab triginta diebus, &c. Et in libro *Sapientiæ, de tertio, septimo, atque tricesimo die, fili in mortuum produc lacrymas. Et post pauca: Propter delaturam autem amarè fer luctum illius. Et iterum: Fac luctum secundum meritum eius vno die vel duobus propter detractionem.

Num. 20. d
Deut. 34. c
* *Eccli 22. b. & 38. b*

Et idem Alcuinus præcitato tit. seq. & vltimo dicit: Cæterùm de tricesima die in Dialogorum libris legimus B. Gregorium præcepisse diebus triginta continuis pro quodam Monacho nomine Iusto, sibiq. necessario medico, quem ipse ob scelus rei peculiaris damnauerat, Missas & orationes percelebrari. Quibus expletis diuina manifestatum est reuelatione, communionem, Sanctorumq. societatem recepisse. Hæc ergo salutifera inoleuit consuetudo, vt tricesima dies defunctorum deuotis

frequentetur officijs. Possumus etiam & hic auctoritatis aliquid adhibere: Nam Aaron primum Sacerdotem triginta diebus legitur fleuisse populus. Sunt qui dicant, hoc agi pro perfectione tricenarij numeri: nam Dominus triginta annorum ætate baptizatus est: Et Dauid triginta annorum regni suscepit gubernaculum. Primum etiam hominem in triginta annorum ætate creatum Doctores asserunt, & nostra corpora in mensuram ætatis plenitudinis Christi credimus & speramus resurrectura, multaq. extant alia huius rei mysteria. Celebratur ergo tricesima, vt in anima incorruptionis renouetur iuuentus, & corpus quod in humilitate sepultum fuerat, resurgat in gloria configuratum corpori claritatis Christi.

Amalarius libro iij. cap.xliiij. & vltimo.

In celebratione triginta dierum suffulti sumus Moysis & Aaron celebratione. Ita scriptum est in eodem libro capitulo xx. Omnis enim multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eum triginta diebus per cunctas familias suas. Et iterum de Moyse in Deuteron. cap. xxxiiij. Fleueruntq. super eum filij Israel in campestribus Moab triginta diebus &c.

Et infrà. Deinceps vsque ad tricesimum &c. Triginta enim diebus completur mensis. Per mensem designatur curriculum præsentis vitæ, vt ex statu lunæ facilè dignoscitur &c. Sed quod agitur in tertia &c. quando studemus vt opera amicorum nostrorum sint plena coram Deo, triginta diebus pro eis sacrificamus. Non opinor vt aliquis velit dicere, quòd non liceat nobis orare quotidie, & sacrificare Deo pro mortuis; sed quod agitur in tertia & septima & tricesima die, publicè agitur, & generaliter ab omnibus amicis, ac conuenitur simul ad hoc in precibus Missarum atque eleemosynis, & cæteris bonis studijs.

Et idem Amalarius libro iiij. cap.xlij. supracitato de Officijs mortuorum, dicit:

Habemus scriptum in quodam Sacramentario, quòd Officia mortuorum agenda sunt circa tertiam diem, & septimam, & tricesimam. Quod non ita intelligo; quasi ille, qui tertia die agere vult officia mortuorum, debeat prætermittere priores duos dies sine supplicationibus; aut qui in septima die, sex superioribus debeat tenere in otio; aut qui in tricesima, viginti & nouem vacare otio: sed quòd tertia die dicuntur celebrari officia mortuorum duobus modis possit, idest vt tertia die infra septem, septima infra triginta celebriùs aguntur circa officia mortuorum, quàm in cæteris diebus: siue vt tertia die consummet illa, Simili modo dicimus de septima & tricesima. De his tribus terminis ponemus auctoritatem sanctarum scripturarum. Dicitur in libro *Sapientiæ de exequijs: Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. Propter delaturam autem amarè fer luctum illius vna die, & consolare propter tristitiam, & fac luctum secundùm meritum illius vno die vel duobus propter detractionem &c.

* Eccli.22.b. & 38.b

Et infrà. Tertia (scilicet celebratio pro defunctis) agitur tricesimo die, quam nobis Aaron & Moyses in auctoritatem ducunt, de quo dictum est in scriptione de Missa. Quoniam sic certamus pro nostris defunctis, quatenus possint participes fieri eorum, quos Christus reuocauit à claustris inferni, in ea commemoratione simili modo celebramus officia pro ipsis, quomodo celebrantur in illis diebus, quando Christus descendit ad inferna, & in quibus creditur mortuus, &c.

Io. Beleth citato cap.clx. dicit de officio triginta dierum ex sacris scripturis vt suprà in die septimo.

Et infrà dicit. Ter decem triginta faciunt: per Ter intelligimus Trinitatem, per decem, Decalogum. Quare Tricenarium mortuis ideò facimus, vt quod in obseruatione decem præceptorum deliquerunt Dei misericordia eis condonetur.

Durandus in præcitato libro vij. & cap.xxv. num.8. dicit:

Alij verò celebrari faciunt pro defunctis triginta dies, vel tricesimo die. Primò, quia filij Israel tot diebus fleuerunt Moysen & Aaron, vt præmissum est. Secundò, quia ter decem faciunt triginta: per ter enim Trinitatem, per decem Decalogum intelligimus.

ligimus. Terdenarium ergo pro mortuis facimus, vt quod in obseruatione Decalogi seu præceptorum Christi, & contra Trinitatem peccauerunt, eis Dei misericordia condonetur. Tertiò, quia numerus Lunæ xxx.diebus perficitur: ideò tricesima die,vel triginta diebus fit mortuis officium, vt opera eorum coram Deo plena esse intelligantur.

De die Quadragesimo.

QVadragesimus dies est in obseruantia pro mortuis, eo quòd Ioseph in exequijs Iacob patris sui præcepit seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem: quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorum: fleuitq. eum Aegyptus septuaginta diebus, Gen.50. in princ. Et deinde duxerunt eum ad sepulturam trans Iordanem, vbi celebrantes eius exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies, vt retuli suprà de septimo die. Illi enim quadraginta dies apparatus funeris computantur in luctu.

S.Clemens libro viij.constitut.citato cap.xlviij. Peragatur dies tertius &c.etiam quadragesimus secundùm veterem formam.

Quocirca S.Ambrosius Episcopus Mediolanen.in oratione,quæ illi tribuitur in morte Theodosij Imperatoris, habita in celebritate quadragesimi diei obitus eius, Honorio Principe filio assistente, ita scribit:

Eius ergo Principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio Principe, qui sicut sanctus Ioseph patri suo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit; ita & hic Theodosio patri iusta persoluit. Et quia alij tertium diem & tricesimum; alij septimum & quadragesimum obseruare consueuerunt, quid doceat lectio consideremus. Defuncto, inquit, Iacob, præcepit Ioseph pueris sepultoribus, vt sepelirent eum. Et sepelierunt sepultores Israel, & repleti sunt ei quadraginta dies: sic enim dinumerantur dies sepulturæ. Et luxit eum Aegyptus septuaginta diebus. Hæc ergo sequenda solennitas, quam præscribit lectio. Sed & in Deuteronomio scriptum est: Quia planxerunt filij Israel Moysen diebus triginta, & consummati sunt dies luctus. Vtraque ergo obseruatio habet auctoritatem, qua necessarium impletur pietatis officium. Bonus itaque Ioseph, qui formam pio muneri dedit,quem amabat pater, cuique dixit: Adiuuet te Deus meus, & benedicat te benedictione terræ habentis omnia propter benedictionem mammillarum & vuluæ benedictiones matris tuæ, & propter benedictionem patris tui. Pij patris soboles bona. Celebrat ergo & iste quadragesimam patris Iacob, supplantatoris illius, & nos celebramus Theodosij Quadragesimam,qui imitatus Iacob supplantauit perfidiam Tyrannorum, qui abscondit simulachra Gentium. Omnes enim cultus idolorum fides eius abscondit, omnes eorum cæremonias obliterauit. Hæc is. *Gen.50.* *Deut.34.* *Gen.49.*

Et ex eo Gratianus xiij.q.ij.Quia alij. ibi, Quia alij tertium diem, alij tricesimum, alij septimum, alij quadragesimum obseruare consueuerunt, vsque ad verba, necessarium impletur pietatis officium.

Quadragesimi etiam diei meminit sanctus Clemens libro viij. Constitutionum Apostolicarum cap. xlviij.

Peragatur, inquiens, dies tertius mortuorum in Psalmis, in Lectionibus, atque Orationibus, propter eum, qui tertia die resurrexit.

Item Nonus, in commemorationem superstitum atque defunctorum: etiam Quadragesimus secundùm veterem formam, vt etiam memoraui suprà de die tertia & nona.

S.Ioannes Damascenus in oratione pro fidelibus defunctis itidem testatur, dum semel & iterum meminit de diebus tertijs & nonis & quadragesimis, vt dictum est suprà de die tertio & nono.

Triodion insuper Græcorum in Sabbato Sexagesimæ idem habet in fine, Quod cùm

cor hominis quadragesimo die tandem corrumpatur, quadragesimo etiam die fit commemoratio pro defunctis &c. vt retuli supra de die tertio.

Io. Beleth supracitato cap. clx. in fine, dicit: Quadragenarium verò ideò quidam faciunt, vt illis qui decesserunt, & transgressi sunt in decem præceptis, & in doctrina quatuor Euangelistarum condonetur. Et

Durandus citato cap. xxxv. dicit: Quidam quoque quaterdecies celebrant siue Quadragenarium faciunt: vt quod illi in doctrina quatuor Euangeliorum, & in decem præceptis legis peccauerunt, sibi condonetur.

Rursus, qui diem quadragesimum seruant, repræsentant Dominicam sepulturam, optantes mortuos gloriam habere cum Christo, qui quadraginta horis iacuit in sepulcro, computata hora in qua emisit spiritum, & vltima hora noctis Dominicæ, in qua resurrexit, secundùm Augustinum. Repræsentat etiam, quòd, vt præmissum est, mortuo Iacob filij eius luxerunt quadraginta diebus.

Sed apud Ecclesiam Latinam non habetur hoc officium in Missalibus, nec in Pontificalibus, nec in alijs Codicibus Ecclesiasticis, vt annotauit Scholiastes in cap. Quia alij. xiij. q. ij.

De die Quinquagesimo.

Dies Quinquagesimus videtur celebris pro mortuis apud quosdam.

Io. Beleth de diuinis officijs dicto cap. clx. dicit:

Sunt præterea nonnulli qui Quinquagenarium faciunt, & alij qui Quadragenarium: sed hi vtrique satis cum ratione facere videntur. Qui enim Quinquagenarium faciunt, ab Abrahamo occasionem sumere videntur, qui ex Domino, volente Sodomam subuertere, quæsiuit, num si quinquaginta in ea essent iusti, illi parceret. Nam & quinquagenarius numerus perfectus est, & significat annum iubileum, idest, octauam ætatem, in qua erit remissio & plena libertas. Vt ergo animæ mortuorum plenam libertatem & suorum peccatorum remissionem adipiscantur, quinquaginta diebus pro illis à quibusdam celebratur officium. Quadragenarium verò ideò quidam faciunt &c. vt suprà.

Gulielmus Durandus dicto cap. xxxv. num. 11. Alij, inquit, quinquagenarium faciunt; quoniam sicut Beda & Gregorius dicunt in glossa super locum illum, vbi habetur, quòd Abraham quæsiuit à Domino volente subuertere Sodomam, si quinquaginta fuerint ibi iusti, nunquid destrues eos? Et respondit Dominus, non. Quinquagenarius numerus perfectus est, & significat annum iubileum, idest octauam ætatem, in qua erit remissio & plena libertas. Vt ergo animæ defunctorum plenariam libertatem & peccatorum suorum remissionem adipiscantur, quinquaginta diebus pro illis celebrant officium. Præterea dicitur in Marco, vnum granum afferebat triginta, & vnum quinquaginta.

De die Sexagesimo.

Sexagesimus dies ponitur ab aliquibus, fortasse quia est duplex tricesimus: Vel iuxta Durandum citato libro vij. cap. xxxv. num. 12. quòd alij sexagenarium, scilicet faciunt, pro eo quia sexagesima significat mœrorem Ecclesiæ propter absentiam sponsi: & ei in consolationem duæ alæ dantur, vt dictum est in sexta parte sub Dominica Quadragesimæ. Sic & hic repræsentant mœrorem propter absentiam defuncti sui: in quorum consolationem & animæ defuncti expiationem sacrificium Domino offertur, & pauperibus eleemosynæ largiuntur.

De die Septuageſimo.

DIes Septuageſimus auctoritatem habet à ſacra Scriptura, quia Geneſis 50. in principio dicitur: Fleuitq. eum, ſcilicet Iacob, Aegyptus lxx. diebus.

Quare S. Auguſtinus in libris Quæſtionum in vetus Teſtamentum libro primo ad finem, ſiue cap.clxxij. loquens de ſeptenario numero, dicit: Quem tamen numerum in luctu Iacob decuplauerunt Aegyptij, qui eum lxx. diebus luxerunt.

Et S.Ambroſius in oratione de obitu Theodoſij, refert idem: Et luxit eum Aegyptus lxx. diebus.

Et poteſt eſſe ſacer, eo quòd conſtet ex triceſimo & quadrageſimo, qui in magna ſunt obſeruatione.

De die Octogeſimo.

OCtogeſimus dies poni poteſt in obſeruatione pro defunctis, quia conſtat ex quinquageſimo & triceſimo, qui ſunt in veneratione pro defunctis, vel quia eſt duplex quadrageſimus, vt ſuprà de eiſdem.

De die Nonageſimo.

NOnageſimus dies, poteſt obſeruari pro defunctis, cùm conſtet ex tribus triceſimis, qui in magna ſunt veneratione, vt ſuprà de die triceſimo.

De die Centeſimo.

CEnteſimus dies ab aliquibus in obſeruatione ponitur, auctore Gulielmo Durando libro ſeptimo ſupracitato cap.xxxv.num.13. vbi refert nonnullos etiam celebrare centeſimum diem, vt mortui tranſeant à læua in dexteram, à militia in triumphum, à terra in cœlum, à miſeria in gloriam, à morte in vitam. Optant enim illis æternam beatitudinem, quæ per centenarium, vltra quem non eſt numerus, deſignatur.

Ex quibus omnibus patet, quemlibet numerum reduci poſſe ad obſeruantiam pro fidelibus defunctis, vt nobis perpetua detur occaſio ſemper deprecandi pro eis.

De Anniuerſaria die pro defuncto.

ANniuerſaria depoſitionis dies pro fidelis cuiuſque defuncti commemoratione in antiqua ſemper obſeruatione fuit.

S. Clemens libro viii. ſupracitato cap. xlviiij. ibi: Necnon Anniuerſarium pro memoria ipſius, deturq. de illius facultatibus pauperibus in commemorationem ipſius.

Tertullianus in libro de exhortatione caſtitatis in editione Iacobi Pamelij cap. xj. ibi: Et iam repete apud Deum, pro cuius ſpiritu poſtules, pro qua oblationes annuas reddas.

Idem in libro de Monogamia in eadem editione cap.x. Enimuerò & pro anima eius (ſcilicet viri defuncti) orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis eius &c.

S. Gregorius Nazianzenus in oratione habita in funere Cæſarij fratris.
Atque alia quidem perſoluimus, alia verò daturi ſumus, anniuerſarios honores & cõmemorationes offerentes illi quidem qui ſuperſtites relinquentur. At tu diuinum & ſacroſanctum caput, vtinam cœlos penetres, atque in Abrahæ ſinu, quicunque tandem ille eſt, conquieſcas: & Angelorum choream inſpectes, & beatorum virorum gloriam atque ſplendorem, vel potiùs vnà tripudies & exultes &c.

S.Ioannes Damaſcenus in oratione pro fidelibus defunctis, poſt princ. qui eadem verba Gregorij Theologi in eadem oratione, quam in Cæſarij fratris funere habuit, citat, inter alia ſæpius meminit, primò videlicet:

Ac quædam iam persoluimus, quædam rursus persoluemus, anniuersarios nimirum honores ac commemorationes offerentes. Cernisne vt præclara & pia ea munera esse asserat, quæ eorum, qui vita functi sunt nomine Deo offeruntur? anniuersariasq. commemorationes ab eo lubenter admitti? Et infrà.

Neque enim alioqui ansam hanc nobis porrexisset, vt eorum, qui è vita migrassent in incruento sacrificio meminissemus, neque vt tertio & nono, & quadragesimo die, ac denique anno vertente in eorum memoriam sacra obiremus. Quæ quidem &c. vt supra de tertio die.

Et iterum infrà.

Nam & diuinarum rerum præcones Apostoli & sacri magistri & Spiritu sancto inspirati patres, ac numine diuino quantum fas est correpti, potentiæq. ipsius, quæ hominem extra se rapit, participes effecti, diuino ore, vti Deo gratum erat, ista omnia, hoc est Missas & Preces, & cantus, anniuersariasq. eorum, qui morte prærepti sunt commemorationes instituerunt atque sanxerunt. Quæ quidem ad hunc vsque diem benigni Dei gratia ab ortu solis vsque ad Occasum & Septemtrionem ac Meridiem, in Domini Dei, qui regium in Reges imperium obtinet, laudem atque gloriam augentur, ac nouis subinde accessionibus amplificantur &c.

Et inferiùs idem B. Damascenus.

Etenim quæ tandem necessitas homines animi imbecillitate præditos adducet, vt excitentur, atque istud munus expleant, nisi compertissimum habeant fore, vt de propinquis atque amicis suis benè mereantur? Quin pauperum quoque portiones in testamentis ascribi desinent, simulq. etiam & Missæ pro mortuis & hymnorum ac Psalmorum cantus finem habituri sunt, & Quadragesima cum Tertijs & Nonis, & Anniuersariæ commemorationes & cæremoniæ, quæ quidem à magistris haud frustra inuentæ, ac moribus receptæ sunt. Absit autem vt quicquam horum vllo modo vel sentiamus vel suscipiamus &c.

Leontius Episcopus Neapoleos Palæstinæ in vita S. Ioannis Eleemosynarij in fine, memorat de anniuersarijs officijs beati Tychonis, dum dicit:

Quod autem est maximum & caret omni dubitatione: celebrabantur anniuersaria magni & admirabilium operum effectoris Tychonis. Deinde cùm perageretur de more hymnodia, & simul esset congregata populi multitudo, Deus admirabilium volens apertum reddere, quãtam fuerit apud eum gloriam consecutus is, qui fuerat eius benignitatis, quoad eius fieri poterat, æmulator Ioannes, inquam, qui cognomen accepit à misericordia; voluit vt ex eius diuinis reliquijs copiosa scaturirent vnguenta emittentia suaueolentem odorem curationum &c.

Patres Concilij Nannetensis cap. x.

Nullus presbyterorum, quando ad anniuersarium diem, tricesimum &c. presbyteri conuenerit, se inebriare vllatenus præsumat &c.

Cap. Nullus presbyterorum, dist. xliiij. & de consecr. dist. v.

Alcuinus de diuinis officijs, citato tit. De exequijs mortuorum.

In Kalendis etiam seu diebus anniuersarijs per nouem Psalmos & Responsoria, seu Lectiones simili modo officia persoluuntur; & ideo iuxta Augustinum non prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus Christianis &c.

Et infrà. At hi, qui per nouenarium numerum, scilicet Psalmorum, sicuti est in Kalendarum diebus seu anniuersariorum recolunt, figurant illa officia nocturnalia, quæ in passione Domini ritè celebrantur. Anniuersaria dies ideo repetitur defunctis, quoniam nescimus, qualiter eorum causa habeatur in alia vita.

Amalarius libro iij. cap. xliiij. & vlt.

Anniuersaria dies ideo repetitur pro defunctis, quoniam nescimus qualiter eorum causa habeatur in alia vita. Sicut Sanctorum anniuersaria dies in eorum honorem ad memoriam nobis reducitur super vtilitate nostra; ita defunctorum ad vtilitatem illorum, & nostram deuotionem implendam, credendo eos aliquando venturos ad consor-

consortium Sanctorum. Alioquin omni tempore bonum est orare, pro defunctis, etiam si dies nesciatur defuncti per obliuionem seu per ignorantiam, vel prætermittatur propter occupationem aliquam terrenam: agatur tamen eorum solennitas iuxta decretum deuotissimarum mentium, credo apud eum, apud quem non est vicissitudinis obumbratio, acceptam esse quasi anniuersaria sit.

Meminerunt etiam Anniuersariæ diei Honorius III. in decretali, Cùm inter vos. de verb.signific. ibi, quæ offeruntur pro Missis mortuorum Sacerdotibus,& quæ pro septimis & tricesimis & anniuersarijs, panes &c.

Et in decretali, Ex parte. iij. eodem tit. ibi, Nec de his, quæ pro anniuersario, septimo, tricesimo, ac vigesimo faciendis &c. aliqua deberet solui portio Ecclesiæ Cathedrali.

Et Gregorius IX. in decretali vltima de testam. ibi, de his quæ &c. pro Anniuersario, septimo, vigesimo, tricesimo die, siue alijs &c. canonica portio &c. deduci non debet.

Durandus præcitato cap.xxxv.

Quidam verò, inquit, Anniuersarium obseruant triplici de causa. Primò, vt defuncti de annis calamitatis perueniant ad annos æternitatis, siue ad vitam æternam, quæ sine fine est: & quasi annus in se reuoluitur: vel quia ibi est identitas, & nulla reperitur varietas. Secundò, quia sicut Sanctorum anniuersarium ad ipsorum honorem & nostram vtilitatem celebramus, prout dictum est in proœmio huius partis, sic & anniuersarium defunctorum ad ipsorum vtilitatem & nostram deuotionem. Tertiò, dies anniuersarij pro defunctis ideo repetitur, quoniam secundùm Augustinum, qualiter sit eis in alia vita nescimus; & melius est vt eis supersit beneficium nostrum, quàm desit, xiij.q.ij. Non æstimemus. Anniuersarium autem, si contigerit in die Dominica, vel in aliqua celebrari solennitate, non debet mutari ad sequentem diem, prout fit in festis Sanctorum: sed fiat in die præcedenti, vt citius occurratur pœnis defunctorum, quas in Purgatorio sustinent. defuncti enim nostro indigent auxilio & beneficio, sed non sancti.

De Anniuersario non celebrando in die festiuo.

Idem Durandus subdit num.17.

Die quidem festiuo Anniuersarium celebrari non debet, nec Missa pro defunctis dici, nisi corpus præsens fuerit: tunc sic, quia omni tempore potest Missa pro defunctis celebrari, cadauere præsente, vt supra pag.412.

De omnibus diebus, & quotidie.

Quamuis autem prædicti dies in obseruatione assignentur pro officijs mortuorum, non tamen propterea excluduntur alij dies, quibus pro fidelibus defunctis orationes & officia mortuorum fiant, & Missæ celebrentur. Nam & quotidie & quandocunque ac frequentissimè fieri & celebrari possunt pro pietate suorum propinquorum & amicorum.

Hinc est quòd Amalarius libro iij. De Ecclesiasticis officijs cap.xliiij.& vlt. De Missa pro mortuis, loquens de tertio die, & septimo,& tricesimo, dicit.

Non opinor vt aliquis velit dicere, quòd non liceat nobis orare quotidie & sacrificare Deo pro mortuis. Sed quod agitur in tertia, & septima, & tricesima die publicè agitur & generaliter ab omnibus amicis, ac conuenitur ad hoc in precibus Missarum, atque eleemosynis & cæteris bonis studijs.

Et subdit ex historia Anglorum exemplum Presbyteri opinantis de fratre suo captiuo, quòd mortuus esset in prælio, quòd non expectauit tertium diem, neque septimum, neque tricesimum: sed frequentissimè celebrauit pro eo Missas, & tempore Missæ quotidie illius vincula soluebantur &c. vt etiam ex eo referetur de suffragijs pro defunctis.

Et eodem cap.xliiij. in fine, dicit.

Alioquin omni tempore bonum est orare pro defunctis &c. vt suprà pag.471.

Ac idem Amalarius seq. libro iiij. supracitato cap.xlij. De officijs mortuorum identidem ita scribit.

Habemus scriptum in quodam Sacramentario, quòd officia mortuorum agenda sunt circa tertiam diem, & septimam, & tricesimam. Quod non ita intelligo quasi ille qui tertia die agere vult officia mortuorum, debeat prætermittere priores duos dies sine supplicationibus; aut qui in septima die, sex superioribus debeat tenere in otio; aut qui in tricesima viginti & nouem vacare otio: sed quòd tertia dicuntur celebrari officia mortuorum, duobus modis possit, id est, vt tertia die infra septem, septima infra triginta celebriùs agantur circa officia mortuorum, quàm in cæteris diebus, siue vt tertia die consummet illa. Simili modo dicimus de septima & tricesima.

Et infra. Sunt etiam loca, in quibus generaliter pro omnibus defunctis omni tempore, excepto Pentecostes & festis diebus, in officio vespertinali & matutinali oratur. Sunt & alia, in quibus Missa pro ijsdem quotidie celebratur: Sunt etiam & alia in quibus in initio mensis nouem Psalmi & nouem Lectiones, totidemq. responsorij pro eis cantantur. Quid hoc valeat, Augustinus in libro ad Paulinum, De cura gerenda pro mortuis, monstrat. Non sunt, inquit, prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, vt quibus in ista vita desunt parentes, aut filij, aut qualescunque cognati vel amici, ab vna eis exhibeatur matre communi. Si autem deessent istæ supplicationes, quæ fiunt recta & pia fide pro mortuis, puto quòd nihil prodesset spiritibus eorum, si quamlibet locis sanctis exanima corpora ponerentur.

Quocirca Durandus libro vij. citato cap.xxxv. nu.xviij. dicit.

Cabilonen. II. cap.39. Tom.3. Concil.

Licet autem secundum Cabillonen. Concilium de consecrat. dist. 1. Visum quotidie sit pro defunctis orandum & sacrificandum: in præmissis tamen diebus hoc specialiter agitur ab amicis. Siquidem aliqui omni tempore, festiuis diebus dumtaxat exceptis, generaliter orant pro defunctis in officio vespertinali & matutinali: alij Missam pro eis quotidie celebrant: alij in mensis initio nouem Psalmos, nouem Lectiones, & nouem Responsoria cantant. Et quidem sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

In quibusdam etiam locis non dicitur in Ecclesia officium mortuorum à quinta feria Cœnæ Domini, vsque ad octauas Pentecostes, dicentes quòd omnia officia illius temporis debent esse breuia, nec in Dominicis diebus. Legitur autem, quòd quidam Abbas prohibuit Monachos celebrare Dominicis diebus pro defunctis: sed mortui propter hoc durissimis verberibus eum afflixerunt; & ideo prohibitionem huiusmodi reuocauit.

De suffragijs, & inter illa de perpetuo vsu salutaris sacrificij pro defunctis.



Machabæorum libro secundo cap.xij. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. Et facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium: benè & religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Canon Missæ in Missali Romano post consecrationem panis & vini.

Commemoratio pro defunctis.

Memento etiam Domine famulorum famularumq. tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Iungit manus, orat aliquantulum pro his defunctis, pro quibus orare intendit: deinde extensis manibus prosequitur. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis & pacis, vt indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

S. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia cap.vij. De his, quæ in quiescentibus fiunt, vbi parte ij. agit de mysterio super his, qui sanctè quieuerunt.

Coacto sancto cœtu venerandus Antistes, siquidem sacerdotalis ordinis fuerat, qui obdormiuit, ante sanctum altare inclinans eum, orationem ad Deum inchoat & gratiarum actionem. Si autem aut honestissimis Monachis, aut sanctæ plebi insertus erat, ad venerandum Sacrarium ipsum ante Sacerdotum reclinat ingressum: deinde Precem cum gratiarum actione peragit Præsul. Deinceps verò ministri diuinis inserta eloquijs verissima de nostra resurrectione promissa recitantes: consentanea tantumdem valentia canunt Psalmorum cantica. Deinde ministrorum primus dimittit Catechumenos, sanctosq. iam defunctos concelebrat, cum quibus & nuper vita functum pari laudatione prosequitur: hortaturq. omnes, vt sibijpsis identidem postulent beatam in Christo consummationem. Posteà accedens venerabilis Præsul precem super eo sacratissimam peragit, & post orationem, ipse quoque Pontifex defunctum salutat, & post illum, qui astant omnes. Vbi verò cuncti consalutauerunt, super defuncto fundit oleum Pontifex, & oratione pro omnibus facta, honesto in loco ponit corpus cum æqualibus alijs corporibus sanctis.

Et prosequitur parte iij. eiusdem capitis septimi, vbi etiam sic habet.

Huius diuinæ iustitiæ causa Præsul gratias agens, orationem sacram peragit, venerandamq. diuinitatem laudibus celebrat, qua destructum est iniquum, & violentum contra nos omnes imperium, nosq. ad sua iustissima iudicia translati sumus.

Porrò diuinarum promissionum cantica, & Lectiones explicant quidem beatissimam requiem, ad quam subuehuntur sempiternè, qui sanctè consummati sunt, suscipiunt verò & amplectuntur vita functum, viuentesq. præterea ad consummationem similem prouocant.

Inspice autem, vt nunc non omnes, vt solitum est, purgandi ordines dimittuntur, soliq. Catechumeni sacris arcentur locis. Est enim hic ordo sancti omnis mysterij penitus rudis, neque sibi fas est quicquam aut paruum aut magnum ex his, quæ sacratiùs consummantur inspicere: quippe qui necdum eius virtutis est particeps, quæ assurgit ad contuenda diuina ex sacra lucis indultrice generatione proueniens: reliqui verò purgandorum ordines sacram quidem traditionem iam fermè didicerunt &c.

Et ibidem.

Accedens deinde venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit: post quam

quam precem, & ipse eum Præsul salutat, & suo deinceps ordine, qui astant omnes. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq. in luce statuat, & regione viuorum: vt in finibus Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco, vnde aufugit dolor & tristitia, & gemitus &c.

Item paulò infrà.

2. Cor. 5. b Non ignoro quidem, & ego diuinis eloquijs accedens, singulis reddendam pro meritis sortem: conclusit enim Dominus inquit apud se, & referet vnusquisque ea, quæ per corpus gessit siue bonum, siue malum. Quod autem & iustorum preces etiam in vita ista, & ne dum post mortem ijs solis prosint, qui digni sunt, Scripturę nos edocet sacrosanctæ traditio. Quid enim Sauli profuit Samuelis oratio? quid Hebræorum iuuit plebem Prophetica interpellatio? Nam profectò idem fit, ac si quis sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet. Sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit, diuinis nequaquàm intendendo muneribus, & à sanctissimis beneficisq. recedendo mandatis. Itaque Scripturæ sacræ acquiescens, vtiles esse in hac vita dixerim Sanctorum preces, hoc modo scilicet. Si qui Sanctorum &c.

Et infrà.

Quænam verò de huiusmodi prece, quam super defuncto peragit Præsul, ex diuinis ducibus nostris traditio peruenit ad nos, operæpretium est, vt dicamus. Venerandus Antistes, vt scriptura ait, interpres est iudiciorum diuinorum: Angelus enim Domini omnipotentis Dei est. Didicit igitur de scripturis diuinitùs traditis, vt ijs, qui piè vixerunt, lucidissima diuinaq. vita pro merito ab æquissimis lancibus redditur, nòn recordante diuina bonitate per summam clementiam maculas, quæ illis ex humana infirmitate adhæserunt: nullus enim, inquit, est mundus à labe. Ista quidē &c.

Et infrà.

Sed iam ad consequentia dictæ orationis redeamus. Ea peracta Pontifex, & ipse salutat defunctum, & deinceps, qui astant omnes: est enim iucundus atque honorabilis omnibus diuinæ imaginis æmulis is, qui in sancta consummatus est vita.

Exacta salutatione, defuncto infundit oleum Pontifex: memento autem vt in prima sancta regeneratione ante sacrum baptisma, prima sancti Symboli participatio traditur initiando, post priorem omnem abiectam vestem, sancti Chrismatis oleum, & nunc in fine omnium defuncto itidem infunditur oleum. Atqui tunc quidem olei vnctio baptizandum euocabat ad sacra certamina: nunc autem infusum oleum signat eum, qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicq. fuisse consummatum.

Peractis his Pontifex condit in loculo dignissimo corpus cum alijs sui ordinis corporibus sacris. Si enim in anima & corpore vitam sanctam, qui defunctus est duxit, honorabile erit cum sancta anima, & quod sacris sudoribus cū illa decertauit corpus. Hinc diuina iustitia cum suo corpore digna illi largitur præmia, vt comiti atque consorti diuinæ, siue contrariæ vitæ. Idcircò, & Sanctorum sacra functio diuinas participationes largitur vtrique animæ quidem in speculatione purissima & vera eorum, quæ geruntur, scientia: corpori verò per sacratissimum (vt in imagine loquamur) vnguentum, & per diuinæ communionis augustissima signa totum sanctificans hominem, integramq ipsius salutem operans, atque vniuersalibus lustrationibus exactissimam eius resurrectionem fore denuntians &c.

S. Clemens libro viij. Constitutionum Apostolorum de Liturgiæ mysterijs agens, post mysticam orationem cap. xviij.

Et Diaconus iterum pronuntiet.

Et sequitur cap. xix.

Etiam rogemus Deum per Christum suum. Pro dono oblato Domino Deo, oremus.

Vt bonus Deus suscipiat illud, intercedente Christo ipsius in cœleste altare suū in odorem suauitatis. Pro hac Ecclesia & pro populo rogemus: pro omni Episcopatu, pro omni Presbyterio, pro omni in Christo Diaconia, & ministerio, pro vniuerso

Ecclesiæ cœtu rogemus, vt Dominus omnes conseruet, atque custodiat. Pro Regibus,& pro ijs,qui sunt in sublimitate constituti, oremus, vt in pace per ipsos viuamus,vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate ac sanctitate: Sanctorum Martyrum memoriam colamus, vt digni efficiamur certaminis ipsorum. Pro ijs, qui in fide quieuerunt,oremus. Pro salubritate aeris & fructuum maturitate rogemus. Pro nuper illuminatis oremus, vt omnes in fide confirmentur. Excita nos Deus in gratia tua. Excitati nos ipsos Deo per Christum eius commendemus.

Et sequitur cap. xx. Et eodem libro viij. cap. xlvij. Allocutio pro defunctis.

De ijs autem, qui quieuerunt in Christo, postquam Diaconus absoluit orationem, ne idem repetamus, hæc addet: Pro quiescentibus in Christo fratres nostri rogemus, vt benignus Deus, qui ipsius animam suscepit, dimittat ei omne delictum voluntarium, & inuoluntarium. Et propitius illi factus, collocet eum in regione piorum & beatorum in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob cum omnibus, qui à seculo placuerunt illi, & fecerunt voluntatem ipsius, vnde abest dolor, tristitia & suspirium.

Excitemus nos, & inuicem commendemus nos æterno Deo per verbum, quod erat in principio.

Episcopus dicat.

Qui immortalis natura es, & nullo fine terminaris, à quo omne immortale, & caducum prodijt: qui rationale animal hominem mundi ciuem, mortale in sua constitutione fecisti, & promisisti ei resurrectionem: qui Enoch & Eliam mortem experiri non permisisti, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, non mortuorum, sed viuentium Deus, quoniam omnium animæ apud te viuunt, & iustorum spiritus in manu tua sunt, quos non attinget tormentum: omnes enim sanctificati sub tua manu sunt. Ipse quoque nunc respice super hunc seruum tuum, quem recepisti in alteram vitam, & condona ei, si quid volens, vel inuitus deliquit: & Angelos placidos constitue ei,& colloca eum in sinu Patriarcharum, Prophetarum,& Apostolorum,& omnium, qui tibi à seculo placuerunt, vbi non est tristitia,dolor, neque horror; sed cœtus piorum & lætantium,& terra rectorum beata,videntium gloriam Christi tui, per quem tibi gloria, honor, cultus, gratiarum actio,& adoratio in sancto Spiritu in secula. Amen.

Et Diaconus dicat: Inclinamini & benedictionem accipite.

Et Episcopus agat gratias pro eis, ijs verbis.

Salua Domine populum tuum,& benedic hæreditati tuę,quam redemisti pretioso sanguine Christi tui. Pasce illos in dextera tua, & tege illos alis tuis, & da eis bonum certamen certare, cursum consummare, fidem seruare constanter, & laudabiliter. Per Dominum nostrum Iesum Christum dilectum puerum tuum, per quem tibi gloria,honor,& cultus in sancto Spiritu in seculæ. Amen.

Item in epistola prima ad Iacobum fratrem Domini.

Instruebat (scilicet sanctus Petrus) actus suæ vitæ omni hora custodire, &c.

Et infrà. Multùm loqui non amare, sed custodire labia sua, ne dolum aut malum loquantur, diem iudicij timere, gehennam expauescere, vitam æternam omni concupiscentia desiderare, non occidere,non adulterare,non furtum facere,non rem proximi concupiscere, non falsum testimonium dicere,sed omnes homines honorare, corpus custodire,vanas,& caducas non amplecti delitias, ieiunium, & vigilias sanctas amare,pauperes recreare,nudos vestire,infirmos visitare,sitientes potare, mortuos sepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro eisq. orare, & eleemosynas dare, &c.

In Liturgia, siue Missa sancti Iacobi Apostoli in propositione panum sanctificandorum Diaconus in deprecatione inter alia dicit:

Pro omnibus patribus & fratribus nostris præsentibus & nobiscum orantibus in hac sancta hora, & omni tempore, vt studiosi, laboriosi, alacres ac diligentes sint, Dominum oremus.

Pro omni anima Christiana afflicta, & vexata, misericordiæ & auxilij Dei indigente, & vt errantes reuertantur, & redeant ad pietatem, vt infirmi conualescant, captiui liberentur, patresq. ac fratres nostri, qui ante obierunt, in pace requiescant, Dominum oremus.

Vt oratio nostra exaudiatur, & accepta sit coram Deo, & vt mittat nobis largam misericordiam, & commiserationem suam, Dominum oremus.

Et infrà post consecrationem & ante fractionem panis.

Diaconus.

Pro remissione peccatorum nostrorum & propitiatione animarum nostrarum, & pro omni anima afflicta & vexata, misericordiæ & auxilij Dei indigente, & conuersione errantium, curatione infirmorum, liberatione captiuorum, requie patrum & fratrum nostrorum, qui ante nos dormierunt; dicamus omnes extensa voce, Domine miserere.

Pop. Domine miserere, duodecies.

In Missa seu Liturgia S. Basilij post oblationem.

Iterum secretè.

Sancti Ioannis præcursoris & Baptistæ, sancti N. illius, cuius memoriam facimus, & omnium Sanctorum tuorum, quorum postulationibus visita nos Deus. Et memento omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, & refrigera eos, vbi visitat lux vultus tui.

In Missa sancti Ioannis Chrysostomi.

Et pro dormientibus in Christo.

Memento Domine, vt bonus, seruorum tuorum, & quæcunque in vita deliquerunt ignosce: nemo enim sino peccato, nisi tu Domine, qui potes migrātibus dare quietē.

Et infrà post consecrationem.

Sacerdos.

Vt fiat communicantibus in emundationem animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem sancti Spiritus, in regni cœlorum plenitudinem, in fiduciam ad te, non in iudicium, neque in condemnationem. Adhuc offerimus tibi rationabile hoc obsequium pro fideliter dormientibus, pro patribus, & proauis nostris, interuenientibus Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, & omnibus Sanctis.

Et paulò post. Diaconus intereà suggerit, vt pro defunctis fiat oratio.

Sacerdos.

S. Ioannis Baptistæ Prophetæ, & Præcursoris, Sanctorum, & nominatissimorum Apostolorum, & Sancti huius, cuius memoriam agimus, & omnium Sanctorum supplicationibus visita nos Deus, & memor esto omnium in Domino dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, ac requiem præsta eis, vbi lumen vultus tui superintendit: & adhuc precamur te &c.

In Missa, qua Aethiopes communiter vtuntur, quæ etiam canon vniuersaliter appellatur, ex lingua Aethiopica in Latinam conuersa, impressa Romæ apud Antonium Bladum M. D. XLIX. mense Aprilis, paulò post princip. & commemorationem viuorum dicitur:

Memento Domine omnium dormientium & quiescentium in fide Christi, colloca animas eorum in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, & libera nos &c.

Et deinde in oratione sacræ oblationis Coadiutor Sacerdotis dicit:

Memento Domine dormientium, Principum, Pontificum, Regum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum & ministrorum tuorum, parentum nostrorum, & omnium in recta fide quiescentium, & imple nos timore nominis tui.

Et paulò post. Sacerdos dat incensum in viuorum & defunctorum memoriam, & cùm incensat altare, dicit orationem, Memento Domine. & subdit:

Fratrum & sororū omnium fidelium dormientium, & in signo rectæ fidei quiescētium.

Et posteà antequàm dicat Euangelium, Sacerdos dicit:
Memento iterum Domine &c. Et subdit:
Memento dormientium, & in recta fide quiescentium.
Et deinde in oratione benedictionis, Sacerdos dicit:
O Domine præbe requiem animabus patrum & fratrum nostrorum, qui in recta fide dormiunt & quiescunt &c.
Et post consecrationem, dicit Sacerdos:
Memento Domine omnium dormientium,& quiescentium in fide Christi; colloca animas eorum in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob; & libera nos ab omnibus culpis &c.

In cæremonijs communibus ad omnes Missas Chaldæorum, in commemorationibus post illas de Sanctis.

FAcimus etiam commemorationem pro parentibus nostris & fratribus, & magistris, qui nos verbum verum docuerunt, & pro defunctis nostris, & omnium fidelium, præsertim eorum, qui sunt ex nostra cognatione,& pro ijs, qui laborauerunt & adiuuarunt in ædificando hoc templo, & pro ijs, qui se diligenter exercuerunt & exercent in conseruando hoc loco benedicto &c.
Et infrà. Deus meus secundùm bonam memoriam & misericordiam tuam miserere parentum & omnium defunctorum meorum. Quam orationem etiam ter dicit.
Et infrà. Et pro omnibus viuis & mortuis, & tranquillitate animarum illorum in cœlesti Hierusalem.
Et ascendens gradus secretò dicit, Suscipe Domine hoc thuribulum &c. ibi, Et pro quiete omnium fidelium defunctorum.
Et paulò post. Sacerdos in oratione, Deus meus, ibi, vt hoc sacrificium tuum venerabile excelsum fit in liberationem peccatorum nostrorum,& eorum, qui ex hac vita transierunt, & dormierunt in spe misericordiæ tuæ, videlicet parentes nostri, fratres, magistri &c.
Et infrà. Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus, suscipiat hoc incensum serui sui peccatoris, misereatur & propitietur nobis, parentibus nostris, fratribus, magistris, & omnibus defunctis nostris, & omnium fidelium defunctorum filiorum Ecclesiæ Apostolicæ, & in hoc & in alio seculo &c.
Et infrà, ibi: Et omnium fidelium defunctorum super altare tuum purum cœleste.
Ibidem in Missa S. Iacobi Apostoli, in commemoratione, ibi, Et eorum qui ex hac vita in pace transierunt &c.
Et infrà. Faciamus etiam commemorationem omnium fidelium defunctorum, qui dormierunt in pace huius Ecclesiæ Catholicæ, huius Ciuitatis benedictæ, conseruatæ à Deo, huius loci & huius Prouinciæ,& aliarum Ciuitatum & Prouinciarum totius vniuersi, & eorum fidelium, qui ex hac vita in aliam secundùm voluntatem tuam progredientes, spe misericordiæ tuæ & fide Orthodoxa vincti transierunt &c.
Et infrà. Memento Domine omnium filiorum ordinis Ecclesiæ secundùm vniuscuiusque gradum, qui dormierunt & requiescunt.
Et paulò post. Memento omnium dormientium & requiescentium, qui à nobis transierunt vincti fide orthodoxa, da illis requiem &c.
Et infrà. Parce Domine Deus iniquitatibus nostris & mortuorum nostrorum.
Et infrà. Diaconus. O fratres mei petimus à Domino, vt liberetur nostra Congregatio & omnes defuncti nostri ab igne illo inextinguibili &c.
Et infra, ibi, O fratres & amici mei commendamus vos gratiæ & misericordiæ sanctissimæ & adorandæ Trinitatis &c. quod propitiatorium est omnium peccatorum; fratres, inquam, & amici mei quotquot præsentes aut absentes estis viui, aut defuncti, qui redempti estis signo redemptionis crucis Domini &c.
Tertullianus defendens errorem suum, & Montanistarum, meminit per ironiam de obla-

oblationibus annuis pro pluribus vxoribus, siue viris. Primùm quidem in libro de Corona militis cap.iij.in editione Pamelij, ibi:

Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus.

Et deinde in libro de exhortatione ad castitatem cap.xj.

Et iam repete apud Deum pro cuius spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot vxoribus, quot illas oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per Sacerdotem de Monogamia hoc pristinum de virginitate sancitum, circundatum virginibus, & vniuiris, & ascendet sacrificium tuum libera fronte, & inter cæteras voluntates bonæ mentis postulabis tibi & vxori castitatem.

Ac demum in libro de Monogamia dicit:

Pro anima eius (scilicet mariti) orat, & refrigerium adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium; & offert annuis diebus dormitionis eius.

S.Cyprianus libro j. epistolarum, epistola ix. ad Clerum & plebem Furnitanorum:

De Victore, qui Faustinum presbyterum Tutorem nominauit: aliàs apud Iacobum Pamelium epistola lxvj. iuxta suam distinctionem operum & epistolarum.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus & plebi Furnis consistentibus S.

Grauiter commoti sumus ego & Collegæ mei, qui præsentes aderant, & compresbyteri nostri, qui nobis assidebant, fratres charissimi, cùm cognouissemus quod Geminius Victor frater noster de seculo excedens, Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominauerit, cùm iampridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de clericis, & Dei ministris tutorem, vel curatorem testamento suo constituat; quando singuli diuino Sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificijs deseruire, & precibus, atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: Nemo militans Deo obligat se molestijs secularibus, vt possit placere ei, cui se probauit. (2. Tim. 2.) Quod cùm de omnibus dictum sit, quantò magis molestijs & laqueis secularibus obligari non debent, qui diuinis rebus, & spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos, & seculares actus vacare non possunt? Cuius ordinationis & religionis formam Leuitæ priùs in lege tenuerunt, vt cùm terram diuiderent, & possessiones partirentur vndecim tribus, Leuitica tribus, quæ templo, & altari, & ministerijs diuinis vacabat, nihil de illa diuisionis portione perciperet, sed alijs terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ad victum atque alimentum suum ab vndecim tribubus de fructibus, qui nascebantur decimas perciperet. quod totum fiebat de auctoritate, & dispositione diuina, vt qui operationibus diuinis insistebant, in nulla re auocarentur, nec cogitare, aut agere secularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur; vt qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, ne molestijs & negotijs secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquàm decimas ex fructibus accipientes ab altari & sacrificijs non recedant, & dic ac nocte cœlestibus rebus, & spiritualibus seruiant. Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit auocare. Et ideò Victor, cùm contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quòd pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur, vt Sacerdotum decretum religiosè & necessariè factum seruetur à nobis: simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes & ministros Dei, altari eius & Ecclesiæ vacantes, ad seculares molestias deuocet. Obseruari enim de cætero poterit, ne vltra hoc fiat circa personam clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum. Opto vos fratres charissimi semper benè valere.

Ex hac quidem epistola dum dicit, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur, apparet fuisse consuetudinem, vt pro defuncto fieret oblatio, & sacrificium pro eius dormitione celebraretur, &c.

Origenes in librum iij. Iob, super verbis: Pereat dies, in quo natus sum.

Nam priores diem natiuitatis celebrabant, vnam vitam diligentes, & aliam post hanc non sperantes. Nunc verò nos non natiuitatis diem celebramus; cùm sit dolorum atque tentationũ introitus: sed mortis diem celebramus, vtpotè omnium dolorum depositionem, atque omnium tentationum effugationem. Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur: propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. Sic itaque non diem natiuitatis celebramus, quia in perpetuo viuent ij, qui moriuntur. Celebramus nimirùm religiosos cum Sacerdotibus conuocantes, fideles vnà cum Clero inuitantes: adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas saturantes, vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus. Nobis autem efficiatur in odorem suauitatis in conspectu æterni Dei.

Eusebius Cæsariensis libro iiij. De vita Magni Constantini cap. lxxj. De sacra Synaxi in Apostolorum martyrio celebrata in mortem Constantini, scribit pro anima Imp. iam defuncti preces cum lacrymis à populo & Dei Sacerdotibus fusas, & sacrum Missæ sacrificium oblatum fuisse his verbis.

Hoc igitur loco excelso solio iacens Beatus Princeps gloriosè prædicabatur: Iam populus frequens vnà cum Sacerdotibus, non sine lacrymis, & sanè magno cum gemitu preces pro anima Imperatoris Deo fundebant, in quo & illi gratum atque optatum pio Principi officium præstabant, & Deus ipse singularem beneuolentiam erga famulum ostendit &c. & quem votis expetiuit locum vnà cum Apostolorum memoria consecutus est. Nam adhuc quidem licet contemplari ter beatæ animæ tumulum Apostolici nominis appellatione decorari, & ad Dei populum aggregari, diuinisq. cærimonijs & mystico sacrificio, sanctarumq. precationum societate perfrui, atque etiam post mortem cum Imperio esse: tanquam iam in filijs reuiuiscens, summam Imperij administraret, Victor, Maximus, Augustus ipsa appellatione vocitatus.

S. Athanasius in libro de varijs quæstionibus sacræ Scripturæ ad Antiochum Principem q. xxxiiij.

Quid ergo? Num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cùm super illis fiunt conuentus, & peractiones bonorum operum & oblationum?

Responsio.

Nisi aliqua beneficia participarent ex illo, non vtique in cura & exequijs fieret commemoratio. Ac sicut vitis florescit extra in agro; & odorem sentit in vase vinum reclusum, sicq. conflorescit etiam ipsum: ita quoque peccatorum animæ piorum precibus, & bonis operibus consolantur.

S. Epiphanius in Panario lib. iij. hæresi lxxv. contra Aerium, tribuit ei errorem non esse orandum pro mortuis, & illorum nomina non esse ad hoc nominanda, & viuentium preces illis non prodesse. At ibi ipse docet preces viuorum illis prodesse, vt ibidem circa finem.

Idem eodem libro iij. contra hæreses, in compendiaria, & vera doctrina de Fide Catholica & Apostolicæ Ecclesiæ ita ait:

In his autem, qui vita defuncti sunt ex nomine memorias faciunt, orationes ad Deum perficientes, ac cultus diuinos, ac mysteriorum dispensationes.

Ex quibus patet mos, vt nominatim memoria defunctorum fieret, & cultus diuini, & mysteriorum dispensationes, idest Missæ pro eis celebrarentur.

S. Ioannes Chrysostomus homil. xxvj. in Matth. vij. & viij.

Idcircò enim altari assistens Sacerdos pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus atque

que

que præsentibus, pro his,qui ante nos fuerunt, pro his,qui posteà futuri sunt sacrificio illo proposito,Deo nos gratias iubet offerre. Hoc quippe & à terra nos liberat, & transponit in cœlum, atque ex hominibus Angelos facit.

Idem S. Ioannes Chrysostomus in Acta Apostolorum homil. xxj. Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia spiritus disposuit, volens vt nos mutuum iuuemus. Vide enim vtilitatem, accipiet ille per te, & tu per illum, contemptis opibus inductus ad faciendum aliquid generosum: & tu illi salutis, ipse verò tibi eleemosynæ factus est auctor. Ne dubita, quia erit aliquis fructus suauis. Non simpliciter minister clamat pro his, qui defuncti sunt in Christo, & pro his, qui illorum memoriam faciunt. Non Diaconus est, qui talem illam vocem emittit,sed spiritus non sanctus inquam, sed donum. Quid dicis? In manibus est hostia,& omnia proposita sunt benè ordinata, adsunt Angeli, adsunt Archangeli,adest Filius Dei,cum tanto horrore astant omnes, astant illi clamantes omnibus silentibus,& putas simpliciter hæc fieri? Igitur, & alia simpliciter, & quæ pro Ecclesia,& quæ pro Sacerdotibus offeruntur, & quæ pro multitudine ac vbertate? Absit. Sed omnia cum fide fiunt. Quid putas pro martyribus offerri, quod vocantur in illa hora? licet Martyres sint,etiam pro Martyribus magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur & horrendum sacrificium, & ineffabilia Sacramenta. Nam quasi sedente Rege quæcunque voluerit perficit. Vt autem surrexerit, quæcunque dicit,frustra dicit. Ita & nunc quamdiu proposita fuerint mysteria, omnibus honor maximus in memoria haberi. Vide enim: Annunciatur tunc Sacramentum horrendum, quod pro mundo dedit seipsum Deus, cum illo miraculo tempestiuè memor est ille eorum, qui peccarunt. Sicut enim quando Regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem, & quicunque victoriæ socij fuerunt: dimittuntur autem, qui sunt in vinculis per illud tempus; vbi autem transierit hoc tempus, qui nihil assecutus est, nihil obtinet; ita sanè, & hic trophæorum & celebrandæ victoriæ tempus est. Quoties enim, inquit, manducatis panem hunc, mortem Domini annunciate. Itaque ne simpliciter accedamus, neque fortuitò hæc fieri putemus. Et aliter: Martyrum memores sumus, & hoc in fidem, quòd non mortuus adhuc est Dominus: idq. quia deuicit, & occidit mortem, signum factum esse illum mortuum. Hæc scientes consideremus quantas consolationes possemus mortuis, pro lacrymis, pro lamentis,pro monumentis præstare: nempe eleemosynas,preces, orationes,vt & illi,& nos assequamur promissa bona, gratia,& misericordia vnigeniti Filij, cum quo Patri simul, sanctoq. Spiritui gloria, imperium, honor nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Et in homil.xlj. in Epistolam primam ad Corinth.cap.xv.

Abierit peccator,sanè gaudere decet peccata impedita esse, & non accumulatum malum; nitiq. quantum fieri potest, vt iuuetur non lacrymis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus. Non est temerè hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus; aut accedimus pro istis agnū illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes, sed vt his consolatio hinc aliqua fiet. Nec temerè,qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat,pro omnibus in Christo dormientibus,'& pro ijs, qui memoriam celebrant illorum. Nam nunquàm ista fiant, neque dicantur, si pro illis commemorationes non fierent. Neque enim scena iam amplius nostra sunt, sed spiritus ordinatione fiunt. Opitulemur igitur his fratres, memoriam pro ipsis faciamus. Nam si Iobi illius liberos patris victima purgauit: quid dubites è nobis quoque si pro dormientibus offeramus, solatij quiddam illis accessurum? Gratificari Deus propter alios alijs solet, quod Paulus hic ostendit: Vt ex multis, inquit, personis pro dono in nos collato per multos gratiæ pro vobis agantur. Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipsis offerendo, communis totius orbis victima preces sunt. Hinc pleni fiducia pro toto etiam orbe supplicamus inter Martyres, inter Confessores, inter Sacerdotes,mortuos recensemus. Vnum enim corpus omnes sumus, sint membra licet alia

alijs

alijs illustriora, vndique veniam ipsis impetrare licet, precibus pro ipsis effusis, muneribus datis, consortio eorum inter quos velut commune corpus referuntur.

Et in epistolam ad Philippenses cap. 1. homil. iij. prope finem agens de defunctis dicit.

Defleamus istos, iuuemus eos pro viribus, procuremus eis aliquid auxilij, modici quidem, attamen iuuemus eos. Quo modo, quaue ratione? Precantes adhortemur & alios, vt pro illis orent, pauperibusq. indesinenter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista nonnihil consolationis.

Et post paululum.

Non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Stante siquidem vniuerso populo, manus in cœlos extendente, cœtu item sacerdotali, verendoq. posito sacrificio: quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verùm istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt. Catechumenos verò neque isto solatio dignamur; sed omni huiusmodi destituti sunt auxilio, vno quodam dempto. Quonam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, vnde illis nonnihil refrigerij accedit. Nam ita vult Deus, vt nos inuicem mutuò iuuemus.

Et in homil. lxix. ad Populum Antiochenum.

Hos lugeamus, post hos pro viribus clamemus, excogitemus eis aliquid solatij, minimum quidem, clamemus tamen. Qualiter aut quonam modo? Orantes, & alios precantes, vt pro eis deprecentur, pro eis pauperibus largientes continuè. habet hæc res aliquam consolationem. Audi namque Deum dicentem: Protegam ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. Si iusti duntaxat memoria tantùm potuit, cùm & opera pro ipso fuerint, quantùm non valebit? Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Sed hoc quidem de his, qui cum fide migrarunt. Catechumeni verò nec hac digni consolatione censentur, sed omni sunt tali suffragio priuati præter vnum solum. Quod autem illud? Dare licet pro eis pauperibus, & ex hoc aliquid eis præstare refrigerationis.

Et idem homil. seq. lxx. Quòd pro defunctis lugendum non sit, sed orandum.

Idem S. Ioannes Chrysostomus libro vj. de Sacerdotio.

Eum enim, qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate? imo verò pro vniuerso terrarum orbe Legatus intercedit, deprecatorq. est apud Deum, vt hominum omnium non viuentium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat: qualem quæso esse oportet? Equidem neque Mosis, neque Heliæ fiduciam fore vnquàm satis putauerim ad supplicationem huiusmodi peragendam: quandoquidem quasi mundus illi vniuersus concreditus, atque adeò omnium sit pater, sic ad Deum ipse accedit, deprecans quicquid vbique bellorum est extingui, turbas solui, atque in horum locum pacem, ac felicem rerum statum succedere: denique celerem malorum vnicuique imminentium, quà priuatim, quà publicè defunctionem postulans. Porrò illum ipsum oportet tantò omnibus in rebus ijs præstare, pro quibus intercedit, quantò par est, vt subditos præfectus excellat. Cùm autem ille, & Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq. illud horrore, ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato: quæro ex te quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim quales manus illas administrantes esse oporteat; qualem linguam, quæ verba illa effundat, qua denique re non puriorem, sanctioremve esse conueniat animam, quæ tantum illum, tamq. dignum spiritum receperit? Per id tempus Angeli Sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat,

& locus altari vicinus, in illius honorem, qui immolatur Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur: Ego verò, & commemorantem olim quendam audiui, cùm diceret senem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitùs fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circundantium: denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente Rege stantes videat. Id quod facilè mihi ipse persuadeo. Item, & alius quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse & audisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum, hinc recta in cœlum abducuntur, &c.

S. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. cx.

Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, vt hæc sibi posteà prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat; & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cùm hæc vita transierit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam, vel grauari. Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cùm obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est. Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundùm ea, quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque cùm in corpore viueret comparauit, vt ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cùm ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt: pro non valdè bonis, propitiationes sunt: pro valdè malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.

2. Corinth. 5.

Idem sanctus Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda ad Paulinum Episcopum Nolanum cap. 1.

Genere igitur vitæ quod gessit quisque per corpus, efficitur, vt prosint, vel non prosint quæcunque pro illo piè fiunt, cùm reliquerit corpus. Nam & meritum per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam. Ita fit, vt neque inaniter Ecclesia vel suorum cura pro defunctis quod potuerit religionis impendat: & tamen ferat vnusquisque secundùm ea, quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum, reddente Domino vnicuique secundùm opera eius. Vt enim hoc, quod impenditur possit ei prodesse post corpus, in ea vita acquisitum est, quam gessit in corpore. Poterat inquisitioni tuæ sufficere mea breuis ista responsio: sed quia alia mouent, quibus respondendum existimo, parumper attende. In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium: Sed etsi nusquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas: vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.

2. Mach. 12.

Et infrà ibidem cap. iiij.

Verùm etsi aliqua necessitas vel humari corpora, vel in talibus locis humari nulla data facultate permittat, non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mor-

mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi: si autem deessent istæ supplicationes, quæ fiunt recta fide ac pietate pro mortuis, puto quòd nihil prodesset spiritibus eorum quamlibet in locis sanctis exanima corpora ponerentur.

Et infrà eodem libro cap. xvij. & vltimo, ita epilogo disputationem concludit.

Quæ cùm ita sint non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus peruenire, nisi quod pro eis, siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificijs solenniter supplicamus: quamuis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed ijs tantùm, quibus dum viuunt comparatur, vt prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Meliùs enim supererunt ista eis, quibus, nec obsunt, nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt. Diligentiùs tamen facit hæc quisque pro necessarijs suis, quòd pro illo fiat similiter à suis. Corpori autem humando quicquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium secundùm affectum, quo nemo vnquàm carnem suam odio habet. Vnde oportet, vt quam potest pro carne proximi curam gerat, cùm ille recesserit, qui gerebat. Et si hæc faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quantò magis debent facere qui credunt, vt corpori mortuo, sed tamen resurrecturo, & in æternitate mansuro, impensum eiusmodi officium, sit etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium? Quòd verò quisque apud memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantùm mihi prodesse defuncto videtur, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur, &c.

Idem S. Augustinus sermone xxxiiij. [aliàs sermone xxxij.] de verbis Apostoli: Vt de dormientibus non contristemur, sicut & cæteri &c. Et de operibus misericordiæ, quibus mortui adiuuantur.

Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorũ causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omninò ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem. Nam qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, eiusq. Sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius dum hic essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid impendunt sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur. Non enim dictum est, nisi cùm hic viuerent, vt eos hæc aliquid adiuuarent, cùm hic viuere destitissent. *Galat. 5.*

Patres Concilij Cabillonensis II. cap. xxxix. ita statuerunt.

Visum prætereà nobis est, vt in omnibus Missarum solennitatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur: ita nimirùm nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solennibus fundantur. Antiquitùs hunc morem igitur sancta Ecclesia tenet, vt & in Missarum solennitatibus, & in alijs precibus Domino spiritus quiescentium commendet; dicente beato Augustino: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus

mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi.

Et habetur apud collectores Decretorum, Gratianum de consecr. dist. j. cap. Visum. præterea. Burchardum lib. iij. cap. lxiiij. & Iuonem parte iij. cap. lxvj. licet in quibusdam verbis variè: quorum aliqua posuit Amalarius libro iiij. cap. xlij.

Sanctus Gregorius Papa in libro xl. homiliarum homil. xxxvij. ibi.

Singulariter namque ad absolutionem nostram, oblata cum lacrymis, & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia is, qui in se resurgens à mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Multos, vt arbitror, vestrum, fratres charissimi, contigit nosse hoc, quod volo ad memoriam vestram narrando reuocare. Non longè à nostris fertur temporibus factum, quòd quidam ab hostibus captus longè transductus est, cumq. diu teneretur in vinculis, eum vxor sua, cùm ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre. Cuius toties vincula soluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge oblatæ fuissent hostiæ pro animæ eius absolutione. Non longo post tempore reuersus, admirans valdè, suę indicauit vxori, quòd diebus certis, hebdomadibus singulis eius vincula soluebantur. Quos videlicet dies eius vxor, atque horas discutiens, tunc eum recognouit absolutum, cùm pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo, fratres charissimi, hinc certa consideratione colligite, oblata à nobis hostia sacra quantùm in nobis soluere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero soluere vincula corporis.

Leontius Episcopus Neapoleos in vita S. Ioannis Eleemosynarij simile exemplum ponit sic.

Quàm magnum autem studium poneret Beatus, vt mortis meminisset, & quòd plurimi faceret efficere, ne eius recordatio deleretur, dictum quidem est priùs, dicetur autem nunc quoque. Nam cum lethalis morbus aliquando inuasisset Ciuitatem, maximæ illi erat curæ accedere ad ægrotorum visitationem, & eorum qui decedebant sepulturam. Sæpe autem etiam assidebat ijs, qui emittebant animam, & eorum oculos suis tegebat manibus. Iubebat synaxes quoque celebrare pro ijs qui dormierant, asserens & affirmans defunctis multùm prodesse, quæ pro eis fiunt commemorationes & sacra ministeria. Ad fidem autem faciendam eorum quæ dicebantur, tale quid etiam narrabat, quod factum fuerat non ita multo ante. Dicebat enim, quòd à Persis quidam abductus captiuus, in custodia, quæ appellatur Lethe, asseruabatur vinctus. Lex autem erat apud Persas, vt qui coniecti erant in eam custodiam, nunquàm reuocarentur: & ea ratione consentaneum est eam fuisse vocatam Lethen, id est obliuionem. Illinc autem cùm quidam potuissent aufugere & in Cyprum venire, affirmarunt parentibus adolescentis eum esse mortuum in custodia: Illi verò tres quotannis synaxes celebrabant, tanquàm eo mortuo. Quatuor anni præterierant, cùm filius illinc aufugiens redit domum. Quem cùm parentes non tanquàm qui fugisset è custodia, sed tanquàm qui surrexisset à mortuis cum magno stupore aspexissent, & fuissent ineffabili voluptate repleti, & alia faciebant & dicebant, quæ anima quæ talem vidisset faceret & diceret: & quemadmodum ei tanquàm iam mortuo fecerant iusta, quæ fiunt mortuis, & cùm eum docuissent, quinam essent ij dies, nempe dies sanctorum Theophaniorum, & dies salutaris Paschæ, & dies sanctæ Pentecostes. Hæc cùm ille audiuisset, & in memoriam reuocasset, parentibus affirmabat, quòd his ipsis diebus relaxabatur à vinculis aduentu cuiusdam, qui gestabat lampadem, & fruebatur omni securitate: diebus autem sequentibus tenebatur vinculis, sicut priùs.

Sed

Sed & idem S.Gregorius eadem homil.xxxvij. vbi suprà, mox de vita & transitu S.Cassij Episcopi Narnien. agens, subdit.

Multi vestru,m fratres charissimi, Cassium Narniensis vrbis Episcopum nouerunt, cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita vt penè nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valdè etiam concordabat vita. Nam cuncta quæ habebat in eleemosynis tribuens, cùm ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. Cuius & vitam, & exitum à quodam Venerabilis vitæ Diacono, qui fuerat ab eo nutritus, referente cognoui. Aiebat enim, quòd quadam nocte eius Presbytero per visum Dominus astitit dicens: Vade, & dic Episcopo: Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua: natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Surrexit Presbyter, sed quia è vicino Apostolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus diem Episcopo nuntiare pertimuit. Alia nocte Dominus redijt, eiusq. inobedientiam vehementer increpauit, atque eadem iussionis suæ verba retexuit. Tunc Presbyter surrexit, vt pergeret, sed rursus infirmitas cordis impedimento facta est indicandæ reuelationis. Et ad admonitionem quoque iteratæ iussionis obduruit pergere, & quæ viderat manifestare neglexit. Sed quia magnam mansuetudinem contemptæ gratiæ, maior sequi solet ira vindictæ, visione tertia Dominus apparens, iam verbis addidit verbera, & tam districta cæde mactatus est, vt in eo duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad Episcopum, eumq. iam ex more iuxta beati Iuuenalis martyris sepulchrum ad offerendum sacrificium consistentem reperit, secretum à circumstantibus petijt, seq. eius pedibus strauit. Cumq. eum vbertim flentem Episcopus vix ad se leuare potuisset, lacrymarum causas cognoscere studuit. Ille verò relaturus ordinem visionis, priùs vestimento humeris deuoluto, detexit plagas corporis, vt ita dicam, testes veritatis, & culpæ, monstrauit quanta animaduersione districtionis, membra illius accepta verbera liuore inflicto sulcauerant. Quæ mox vt Episcopus vidit exhorruit, & quis sibi talia facere præsumpsisset, cum magnæ obstupefactionis vocibus inquisiuit. At ille respondit, hæc se pro ipso fuisse perpessum. Excreuit cum terrore admiratio: sed nullas iam Presbyter inquisitioni eius moras adijciens, secretum reuelationis aperuit, eiq. iussionis Dominicæ ea, quæ audierat, verba narrauit, dicens: Age quod agis, operare quod operaris, non cesset manus tua, non cesset pes tuus: natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Quibus auditis Episcopus se in orationem cum magna cordis contritione prostrauit, & qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine ad horam nonam vsque protelauit. Atque ex illo iam die magis magisq. aucta sunt ei lucra pietatis. Factusq. est tam fortis in opere, quàm certus ex munere: quippè qui eum cui ipse debitor fuerat, ex ea promissione iam cœperat habere debitorem. Huic autem consuetudo fuerat annis singulis natalitio Apostolorum die Romam venire. iamq. ex hac reuelatione suspectus, venire iuxta morem noluit. Eodem ergo tempore solicitus fuit, secundo quoque anno vel tertio in mortis suæ expectatione suspensus, quarto, quintoq. & sexto similiter. Qui desperare iam de veritate reuelationis poterat, si verbis fidem verbera non fecissent: Cùm ecce anno septimo vsque ad expectati Natalis sacras vigilias incolumis peruenit, sed leuis hunc in vigilijs calor attigit, atque ipso die natalitio filijs suis se expectantibus, Missarum solennia implere se posse recusauit. Illi verò qui de eius erant pariter egressione suspecti, simul ad eum omnes venerunt, sese vnanimiter astringentes, vt die eodem nequaquam acquiescerent Missarum solennia celebrari, nisi pro eis apud Dominum idem Antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus, in Episcopi Oratorio Missas fecit, & manu sua Corpus Dominicum, pácemq. omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati sacrificij peracto, ad lectulum redijt, ibiq. iacens,

dum Sacerdotes suos ac ministros circumstetisse cerneret, quasi vale vltimum dicens, de seruando eos vinculo charitatis admonebat, & quanta debuissent concordia inter se vniri prædicabat. Cùm subitò inter ipsa sanctæ exhortationis verba, voce terribili clamauit, dicens: Hora est. Moxq. assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur. Quo tenso, spiritum emisit, sicq. sancta illa anima ad gaudia æterna perueniens, à carnis corruptione soluta est.

Idem sanctus Gregorius Dialogorum libro iiij. cap.lv. in impressione noua Parisien. & Romana in antiqua cap.lvij. inscripto.

Quid sit, quod post mortem valeat ad absolutionem animas adiuuare, & de Centumcellensi Presbytero, qui à cuiusdam spiritu petitus est, vt per sacram hostiam post mortem potuisset adiuuari; & de anima Iusti Monachi.

Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare: ita vt hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur. Nam prædictus Felix Episcopus, à quodam vitæ venerabilis Presbytero, qui vsque ante biennium vixit, & in Diœcesi Centumcellensis vrbis habitabat, atque Ecclesiæ beati Ioannis, quæ in loco, qui dicitur Tauriana sita est, præerat, cognouisse se asserit, quòd idem Presbyter in eodem loco in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties corporis necessitas exigebat, lauari consueuerat. Vbi dum die quadam fuisset ingressus, inuenit quendam incognitum virum, ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet, & exeunti de caloribus sabana præberet, atque omne ministerium cum magno famulatu perageret. Cumq. hoc sæpiùs fieret, idem presbyter die quadam ad balnea iturus, intra semetipsum cogitans, dixit: Viro illi, qui mihi solet tam deuotissimè ad lauandum obsequi, ingratus apparere non debeo: sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit. Qui mox vt peruenit ad locum, hominem inuenit, atque ex more eius obsequio in omnibus vsus est. Lauit itaque, & cùm iam vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens vt benignè susciperet, quod ei gratia charitatis offerret. Cui ille mœrens afflictusq. respondit. Mihi ista quare das Pater? Iste panis sanctus est, ego hunc manducare non possum: Ego etenim quem vides, huius loci dominus aliquando fui: sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias. Et tunc exauditum te esse cognosce, cùm huc ad lauandum veneris, & me minimè repereris. In quibus verbis disparuit: & is, qui homo esse videbatur, euanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem verò presbyter hebdomada continua se pro eo in lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, & reuersus post ad balneum, eum iam minimè inuenit. Qua ex re quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viuentibus petunt, & signa indicant, quibus per eam absoluti videantur.

Neque hoc silendum puto, quod actum in meo Monasterio ante hoc triennium reminiscor. Quidam namque Monachus, Iustus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem Monasterio constituto sedulè obsequi, atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueuerat. Hic itaque languore corporis præuentus, ad extremum deductus est. Cui in ipsa sua molestia frater germanus nomine Copiosus seruiebat, qui ipse quoque nunc in hac vrbe per eandem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Iustus, cùm iam se ad extremum peruenisse cognouisset, eidem Copioso fratri suo, quia occultatos tres aureos haberet, innotuit: Quod nimirùm fratribus non potuit celari, sed subtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos inuenerunt absconsos in medicamine. Quod mox vt mihi nunciatum est tantum malum de fratre, qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui: quippe quia eius-

dem

dem mei Monasterij semper regula fuerat, vt cuncti Fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœrore percussus cogitare cœpi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel ad exemplum viuentibus Fratribus prouiderem. Pretioso igitur eiusdem Monasterij Præposito ad me accersito dixi: Vide vt nullus ex Fratribus se ad eum morientem iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat; sed cùm in morte constitutus Fratres exquisierit, ei suus carnalis frater dicat, quia propter aureos, quos occultatos habuit, à cunctis Fratribus abominatus sit: vt saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transuerberet, atque à peccato, quod perpetrauit, purget. Cùm verò mortuus fuerit, corpus illius cum Fratrum corporibus non ponatur, sed quolibet in sterquilinio fossam facite, & in ea corpus eius proijcite, ibiq. super eum tres aureos, quos reliquit, iactate, omnes simul clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditione, & sic eum terra operite. In quibus vtrisque rebus, vnam morienti, alteram verò volui prodesse fratribus viuentibus; vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio terreret, atque à culpa prohiberet: quod ita factum est. Nam cùm idem Monachus peruenisset ad mortem, atque anxiè se quæreret commendari Fratribus, & nullus è Fratribus ei applicari, & loqui dignaretur, ei carnalis frater, cur ab omnibus Fratribus esset abominatus, indicauit. Qui protinùs de reatu suo vehementer ingemuit, atque ipsa sua tristitia è corpore exiuit, qui ita est sepultus vt dixeram. Sed Fratres omnes ex eadem eius sententia conturbati, cœperunt singuli extrema quæque & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementerq. formidare, ne quid apud eos esset, vnde reprehendi potuissent. Cùm verò post mortem eius triginta iam essent dies deuoluti, cœpit animus meus defuncto Fratri compati, eiusq. cum dolore graui supplicia pensare, & si quod esset ereptionis eius remedium quærere. Tunc euocato ad me eodem Pretioso Monasterij mei Præposito tristis dixi. Diu est quod Frater ille, qui defunctus est, in igne cruciatur: debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum in quantum possumus, vt eripiatur adiuuare. Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omninò prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur: Qui protinus abscessit, & dictis paruit. Nobis autem alia curantibus, atque dies euolutos non numerantibus, idem Frater qui defunctus fuerat nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cùm vidisset, inquisiuit dicens: Quid est frater, quomodo es? Cui respondit. Nunc vsque malè fui, sed iam modò benè sum: quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens protinùs indicauit Fratribus in monasterio. Fratres verò solicitè computauerunt dies, & ipse dies extiterat, quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta. Cumq. & Copiosus nesciret, quid pro eo Fratres agerent, & Fratres ignorassent, quid de illo Copiosus vidisset, vno eodemq. tempore dum cognoscit ille quid isti egerant, atque isti cognoscunt quid ille viderat, concordante simul visione, & sacrificio, res apertè claruit: quia Frater qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam euasit supplicium.

Petrus.

Mira sunt valdè quæ dicis, & non mediocriter læta.

Et cap. lvj. De vita & transitu Cassij Episcopi, aliàs in antiqua impressione cap. lviij.

Ne nobis in dubium veniant verba mortuorum, confirmant hæc facta viuentium. Nam vir vitæ venerabilis Cassius Narnien. Episcopus, qui quotidianum offerre consueuerat Deo sacrificium, seq. in lacrymis inter ipsa sacrificiorum arcana mactabat, mandatum Domini per cuiusdam sui visionē presbyteri suscepit, dicens: Age quod agis, operare, quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Qui post annos septem, ipso natalitio Apostolorum die, cùm Missarum solennia peregisset, & mysteria sacræ Communionis accepisset, è corpore exiuit.

Et cap. lvij. in noua, in antiqua lix. De quodam ab hostibus capto, cuius vincula oblationis hora soluebantur. Et de Baraca nauta per salutarem hostiam à naufragio liberato.

Hoc quoque quod audiuimus, quendam apud hostes in captiuitate positum, & in vinculis religatum fuisse, pro quo sua coniux diebus certis sacrificium offerre consueuerat: qui longo post tempore ad coniugem reuersus, quibus diebus eius vincula soluerentur innotuit: eiusq. coniunx illos fuisse dies, in quibus pro eo sacrificium offerebat, recognouit.

Ex alia etiam re, quæ nobis ante annos septem gesta est, certissimè confirmatur. Agathus enim Panormitanus Episcopus, sicut fideles mihi ac religiosi viri multi testati sunt, atque testantur, cùm beatæ memoriæ antecessoris mei tempore iussus esset vt Romam veniret, vim nimiæ tempestatis pertulit, ita vt se ex tanto vndarum periculo euadere posse diffideret. Nauta verò illius, Baraca nomine, qui nunc eiusdem Ecclesiæ clericatus officio fungitur, post nauem carabum regebat, ruptoq. fune, cum eodem carabo quem regebat, inter vndarum cumulos repentè disparuit. Nauis autem, cui Episcopus præerat, tandem post multa pericula ad Vsticam insulam fluctibus quassata peruenit. Cumq. die tertio Episcopus nautam, qui ab eo abreptus in carabo fuerat, in nulla maris parte videret apparere, vehementer afflictus, mortuum credidit; sed per obsequium charitatis viuo vnum, quod mortuo debebat, impendit: & omnipotenti Deo pro absolutione eius animæ offerre sacrificium victimæ salutaris iubet. Quo oblato restaurata naue, perrexit ad Italiam. Cumq. ad Romanum portum venisset, illic nautam reperit, quem mortuum putabat: Tunc inopinata exultatione gauisus est, & eum qualiter tot diebus in illo tanto maris periculo viuere potuisset, inquisiuit. Qui videlicet indicauit, quoties in illius tempestatis fluctibus cum eodem, quem regebat, fuisset carabo versatus, qualiter cum illo vndis pleno natauerat, & quoties eo à superiori parte deorsum verso, ipse carinæ eius supersederat: adiungens cùm diebus ac noctibus hoc incessanter faceret, iamq. eius virtus funditùs ex fame simul, & labore cecidisset, quo eum ordine diuina misericordia seruauerit, indicauit. Etenim, quod etiam nunc vsque testatur, dicens: Laborans in fluctibus, atque deficiens, subito mentis pondere sum grauatus, ita vt neque vigilare me crederem, neque depressus somno essem: & ecce in eodem medio mari me posito, quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionē detulit. Quem mox vt comedi, vires recepi, nec longè post nauis transiens affuit, quæ me ab illo vndarum periculo suscepit, atque ad terram deduxit. Quod scilicet Episcopus audiens, requisiuit diem, atque illum fuisse diem reperit, quo pro eo presbyter in Vstica insula Deo omnipotenti hostiam sacræ oblationis immolauit.

Petrus.

Ea quæ narras ipse quoque in Sicilia positus agnoui.

Gregorius.

Idcircò credo, quia hoc tam apertè cum viuentibus ac nescientibus agitur, vt cunctis hæc agentibus ac nescientibus ostendatur: quia si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse etiam mortuis victima sacræ oblationis possit. Sed sciendum est, quia illis sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hic viuendo obtinuerunt, vt eos etiam post mortem bona adiuuent, quæ hic pro ipsis ab alijs fiunt.

Et cap. lviij. De virtute ac mysterio victimę salutaris, secundùm nouam impressionem, sed secundùm veterem, cap. lx.

Inter hæc autem pensandum est, quòd tutior sit via, vt bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum viuit, per se. Beatius quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere. Debemus itaque præsens seculum, vel quia iam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius & sanguinis hostias immolare. Hæc nanque singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis

Rom. 6. b mortem Vnigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens à mortuis iam non

moritur,

moritur, & mors ei vltra non dominabitur: tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus, atque inuisibilibus fieri?

Gregorius Papa II. in epistola ad sanctum Bonifacium Archiepiscopum.

Pro obeuntibus quippe consuluisse dignosceris, si liceat oblationes offerre? Sancta sic tenet Ecclesia, vt quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque presbyter eorum memoriam faciat. Et quamuis omnes peccatis subiaceamus, congruit, vt Sacerdos pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat; non tamen pro impijs; quamuis Christiani fuerint, tale quid agere licebit.

Venerabilis Beda in historia Anglorum libro iiij. cap. xxij. ita scribit.

In præfato autem prælio, quo occisus est Rex Elbuini, memorabile quoddam factum esse constat, quod nequaquam silentio prætereundum arbitror, sed multorum saluti, si referatur fore proficuum. Occisus est ibi inter alios de militia eius iuuenis vocabulo Imma, qui cùm die illo, & nocte sequente inter cadauera occisorum similis mortuo iaceret, tandem recepto spiritu reuixit, ac residens sua vulnera, prout potuit ipse alligauit; deinde modicum requietus, leuauit se, & cœpit abire sic, vbi amicos, qui sui curam agerent, posset inuenire. Quod dum faceret inuentus est, & captus à viris hostilis exercitus, & ad dominum ipsorum Comitem videlicet Edilredi Regis adductus, à quo interrogatus quis esset, timuit se militem fuisse, confiteri; rusticum se potiùs, & pauperem, atque vxorio vinculo colligatum fuisse respondit, & propter victum militibus adferendum in expeditionem se cum sui similibus venisse testatus est. At ille suscipiens eum, curam vulneribus egit, & vbi sanari cœpit, noctu eum ne aufugeret, vinciri præcepit, nec tamen vinciri potuit. Nam mox, vt abiere qui vincierant, eadem sunt eius vincula soluta. Habebat enim germanum fratrem, cui nomen erat Tunna, presbyterum, & Abbatem Monasterij in Ciuitate quæ hactenus ab eius nomine Tunnacestir cognominatur, qui cùm eum in pugna peremptum audiret, venit quærere, si fortè corpus eius inuenire posset: inuentumq. aliud illi per omnia simillimum, putauit ipsum esse, quod ad monasterium suum deferens honorificè sepeliuit, & pro absolutione animæ eius sæpius missas facere curauit. Quarum celebratione factum est quod dixi, vt nullus eum posset vincire, quin continuò solueretur. Intereà Comes, qui eum tenebat, mirari & interrogare cœpit, quare ligari non posset: an fortè litteras solutorias, de quibus fabulæ ferunt, apud se haberet, propter quas ligari non posset? At ille respondit, nihil se talium artium nosse: Sed habeo fratrem, inquit, presbyterum in mea Prouincia, & scio, quia ille me interfectum putans pro me Missas crebras facit, & si nunc in alia vita essem, ibi anima mea per intercessiones eius solueretur à pœnis. Dumq. aliquanto tempore apud Comitem teneretur, animaduerterunt, qui eum diligentiùs considerabant, ex vultu & habitu, & sermonibus eius, quia non erat de paupere vulgo (vt dixerat) sed de nobilibus. Tunc secretè aduocans eum Comes, interrogauit intentiùs vnde esset, promittens se nihil ei mali facturum pro eo, si simpliciter sibi quis esset, proderet. Quod dum ille faceret, ministrum se Regis fuisse manifestans, respondit, & ego per singula tua responsa cognoueram, quod rusticus non eras. Et nunc quidem dignus es morte, quia omnes fratres & cognati mei in illa sunt pugna interempti: nec te tamen occidam, ne fidem mei promissi præuaricem. Vt ergo cõualuit, vendidit eum Londoniam Frisoni cuidam, sed nec ab illo, nec cùm illuc duceretur vllatenùs potuit alligari. Verùm cùm alia atque alia vinculorum genera ei hostes imponerent, dissoluta sunt: cumq. videret, qui emerat, eum vinculis non

posse cohiberi, donauit ei facultatem sese redimendi, si posset. A tertia enim hora, quando Missæ fieri solebant, sæpissimè vincula soluebantur. At ille dato iureiurando, vt rediret, vel pecuniam illi pro se mitteret, venit Cantiam ad Regem Lodhere, qui erat filius sororis Edildridæ Reginæ (de qua suprà dictum est, qui & ipse quondam eiusdem Reginæ minister fuerat) petijtq. & accepit ab eo pretium suæ redemptionis, ac suo domino pro se (vt promiserat) misit: qui post hæc in patriam reuersus, atque ad suum fratrem perueniens replicauit ex ordine cuncta quæ sibi aduersa, quæve in aduersis solatia prouenissent: cognouitq. referente eo illis maximè temporibus sua fuisse vincula soluta, quibus pro se Missarum fuerant celebrata solennia: sed & alia, quæ periclitanti ei commoda contigissent, & prospera per intercessionem fraternam, & oblationem hostiæ salutaris cœlitus sibi fuisse donata intellexit. Multiq. hæc à præfato viro audientes, accensi sunt in fide, ac deuotione pietatis ad orandum, vel ad eleemosynas faciendas, vel ad offerendas Domino victimas sacræ oblationis pro ereptione suorum, qui de seculo migrauerunt. Intellexerunt enim, quòd sacrificium salutare ad redemptionem valeret, & animæ & corporis sempiternam. Hanc mihi historiam etiam quidam eorum, qui ab ipso viro in quo facta est, audiere, narrarunt: vnde eam, quam liquidò comperi, indubitanter historiæ nostræ Ecclesiasticæ inserendam credidi.

Beatus Ioannes Damascenus in oratione: Quòd ij, qui cum fide ex hac vita excesserunt, viuorum Missis & sacrificijs iuuentur (in qua agit contra errorem, & nouum quoddam & absurdum, sacrisq. sanctionibus omninò contrarium dogma, quod diabolus quibusdam in animum iniecit, nempe pia omnia opera quæ mortem sequuntur, nullam omninò defunctis vtilitatem adferre) post principium sic dicit:

Animaduertite enim quid Scriptura sacra de Iuda Machabæo memoriæ prodiderit, nimirùm eum in Sion Regis magni ciuitate, cùm populum, cui præerat ab exteris hostibus cæsum & obtruncatum vidisset, sinusq. eorum excutiens, condita in ipsis idola comperisset, statim expiandi huiusce sceleris causa Domino, ad misericordiã prompto atque propenso, pro vnoquoque eorum munera obtulisse, in eaq. re summę pietatis, & charitatis munere perfunctum fuisse. Vnde etiam factum est, vt diuina Scriptura quemadmodùm omnibus alijs nominibus, ita hoc quoque nomine summis eum laudibus euexerit, ac mirificè commendarit. Porrò autem verbi discipuli, atque conspectores, à quibus orbis vniuersus captus est, illi inquam Saluatoris discipuli, ac diuini Apostoli, vt in tremendis, ac puris vitamq. afferentibus mysterijs eorum, qui cum fide diem vitæ extremum clausissent, memoria fieret instituerunt. Quod etiam firmè atque constanter, ac sine vlla controuersia Catholica & Apostolica Ecclesia ab extremis finibus ad extremos vsque fines ab eo tempore ad hunc vsque diem semper retinuit, ac tantisper dum mundus hic erit retinebit. Nec verò inconsideratè ac temerè, & sine ratione hoc ab illis est institutum, neque enim quicquam quod vtilitate careat Christianorum religio, quæ ab omni errore aliena est, suscepit, fixumq. semper ac stabile retinuit: sed frugifera omnia Deoq. grata atque accepta, maioremq. in modum vtilia, atque ita comparata, vt maxima ex ijs salus oriatur. Quocirca eruditissimus ille, atque in explicandis rebus diuinis exercitatissimus Dionysius (libet enim, quò planius fiat id quod probandum institui, diuina ac veneranda ipsius verba vsurpare) in mystica sua de ijs, qui mortem obierunt contemplatione, disertè hoc asserit, Sanctorum preces in hac quoque vita, nedum post mortem, in ijs qui sanctis precibus digni sunt, hoc est pijs ac fide præditis efficaces esse. (Non est autem dubium, quin hoc loco per voculam hanc, nedum, nihil aliud intelligendum sit, quàm quantò magis) non enim diuinus Pontifex, ac diuinæ iustificationis interpres ea vnquàm in animum induceret, postulare, quæ Deo quàm gratissima non essent, quæq. ipse se daturum minimè recepisset. Ob idq. profanis, hoc est ijs, qui baptizati non sunt, cùm è vita decesserint, ista haudquaquam precatur atque optat. Et rursus: Diuinus itaque Pontifex, quæ Deo grata sunt, postulat, quæq. ille prorsus daturus est. Ac rursus. Hoc igitur supplex à diuina bonitate petit Pontifex,

2.Mach.12.

tifex, vt errata per humanam imbecillitatem admissa, ei, qui è viuis excessit, remittat, eumq. in viuentium regione collocet in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco vnde profugit dolor & tristitia, & gemitus: dissimulante nimirum pro sua bonitate diuina clementia maculas eas, quas is, qui vita abijt, ex humana fragilitate contraxit; quandoquidem nemo, vt sacris oraculis proditum est, mundus est à sorde. *Iob 25.*

Post hunc autem rursus Gregorius ille, qui à Theologia cognomentum traxit, in ea oratione, quam in Cæsarij fratris funere habuit, de matre sua ad hunc modum loquitur. Auditum est, inquit, præconium dignum, quod ad omnium aures perueniat. Ac matris mœror per egregiam ac sanctam pollicitationem, qua se filio quicquid opum ipse habebat, ipsius nomine in parentale munus oblaturam recepit exhauritur. Et alijs quibusdam interiectis. Atque hæc sunt, quæ à nobis proficiscuntur. Ac quædam iam persoluimus, quædam rursus persoluemus, anniuersarios nimirùm honores ac commemorationes offerentes. Cernisne, vt præclara & pia ea munera esse asserat, quæ eorum, qui vita functi sunt nomine Deo offeruntur, anniuersariasq. commemorationes ab eo lubenter admitti?

Deinceps ille verè aurea loquens, atque ab auro cognomentum nactus Ioannes, ille inquam amoris erga pauperes ac pœnitentiæ dux & magister, in luculentissima sua enarratione in Epistolas ad Philippenses, & Galatas his verbis vtitur: Nam cùm gentiles simul cum ijs, qui mortem obierunt, bona sua comburant, quantò tandem æquius est te, qui fide præditus es, operam dare, vt eius, qui fide præditus erat, bona eum prosequantur? non vt ea in cinerem, velut illa dilabantur: sed vt maiorem ipsi gloriam concilies: ac si peccator erat is, qui fatis concessit, eius peccata deleas: si autem probus ac iustus ea illi in mercedis ac remunerationis cumulum cedant. Et rursus in altera oratione: Excogitemus quemadmodum de ijs, qui obierunt, benè mereamur. Auxilium quod nobis in promptu est, ipsis offeramus, hoc est eleemosynas, & oblationes. Id enim vberem fructum, atque ingentem vtilitatem ipsis accersit. Non enim hæc frustra ac temerè instituta, Ecclesiæq. Dei à sapientissimis ipsius discipulis tradita sunt, nimirùm vt Sacerdos pro ijs, qui in fide obdormierunt, in tremendis mysterijs vota faciat. Probè siquidem norant hinc ingentem quæstum, & vtilitatem ad eos redire.

His etiam adstipulatur doctissimus Gregorius Nyssenus ad hunc modum loquens: Nihil inconsultè atque incassum à Christi præconibus & discipulis proditum est, & in omnibus Dei Ecclesijs obtinuit: verùm id vtile ac Deo gratum est, nempè vt in diuino ac splendidissimo sacro, eorum qui è vita in recta fide discesserunt memoriam agamus. Hæc enim, Tu reddes vnicuique iuxta opera sua, & quæ quisque seminauerit ea & metet, & quæ his similia sunt, proculdubio de Creatoris aduentu, & horrenda illius temporis sententia atque huiusce mundi consummatione dicta sunt. Tum enim ferendi auxilij neutiquam tempus erit: verùm omnis deprecatio frustra adhibebitur. Solutis enim nundinis negotiari iam ac quæstum facere non licet. Vbi enim tum pauperes existent? vbi Missæ? vbi Psalmorum cantiones? vbi beneficia & probæ actiones? Ac proinde ante horam illam id curemus, vt alij alijs opitulemur, ac benigno, & hominum atque animarum amanti Deo ea, quæ ex fraternę charitatis officio sunt, offeramus. Perlubenter enim id accipit, ijsq. qui improuisò, atque vt ita dicam, imparati ex hac vita discesserunt, eas quas propinqui ac familiares ipsi offerunt, prætermissi officij vices ascribit, perindeq. reputat, ac si ipsimet his operibus functi fuissent. Sic enim facilis ille, ac clemens Dominus à se postulari vult, eaq. tribuere, quæ pro ijs, quos creauit ad salutem petuntur. Ac tum demum ad eorum preces omninò inflectitur, cùm quis non modò pro animæ suæ salute contendit, sed proximi quoque causa operis aliquid nauat (hac enim ratione Dei similitudinem in se expressam refert) aliorumq. dona vt sua beneficia petit, ac perfectæ charitatis metam attingit, beatitudinemque, dum de proximi anima benè meretur, quammaximè percipit. Quidnam autem est quamobrem graue ac molestum hoc quibusdam videatur? An non ea, quæ martyrio prima perfuncta est, Falconillæ vita

functæ salutem attulit? At dices fortasse hanc meritò, quia princeps martyr erat, hoc consecutam esse, æquumq. fuisse preces ipsius exaudiri. Rectè inquam, ais, eam primam martyrem fuisse. Velim autem hoc rursus consideres, cuiusnam causa postulabat. Nempè pro gentili, & idolorum cultrice profanaq. prorsus opifice, atque à Christo auersa. Hic autem fidelis pro fideli ad eundem Dominum preces fundit. Fac igitur alterum cum altero compares, vt res ipsa exæquetur. Hæc is.

Qui etiam citat Palladium in historia Lausiaca de miraculis magni, & mirifici Macarij, qui frequenter orabat pro defunctis, & eius colloquio cum cranio sicco, cuius spiritus respondit defunctos ipsius orationibus subleuari. Et de alio quodam Patre, qui discipuli negligentis animam igne deflagrantem suis precibus liberauit.

Gregorium Papam, quem Dialogum more Græcorum appellat, qui orauit pro anima Traiani Imperatoris. Et

Athanasium in oratione De ijs, qui è vita discesserunt, semel, & iterum.

Et rursus eundem S. Dionysium tacito nomine (scilicet de diuinis nominibus cap. iiij.)

Et iterum Ioannem Chrysostomum in alijs locis.

Eadem ferè & similia habentur apud Græcos in Triodio officij eorum, vbi agitur de institutione commemorationis omnium fidelium defunctorum Sabbato Dominicæ Sexagesimæ (iuxta eorum morem) & de rationibus institutionis huiusmodi; & in fine, cur die tertio, nono, & quadragesimo depositionis defunctorum fiat commemoratio, vbi etiam complura scribuntur non contemnenda de suffragijs defunctorum: licet aliqua cum delectu, & cautè legenda sint. Sic autem Metio interprete, Triodion habet.

Eodem die (Sabbato scilicet Sexagesimæ) commemorationem omnium fidelium defunctorum sancti Patres peragendam decreuerunt, hac videlicet de causa, quòd cùm sæpenumerò complures peregrè intempestiuam mortem subierint; necnon in mari, & inaccessis montibus, & præcipitijs, & voraginibus, fame etiam, & peste, & bello atque igni & frigore, & alijs mortis generibus decesserint. Quinimò cum & alij pauperes, & inopes consuetis Ecclesiasticis officijs & suffragijs caruerint, sancti Patres propterea misericordia quadam commoti, vt de his omnibus in Catholica Ecclesia statuto die commemoratio fieret sanxerunt, ab ipsis sacris Apostolis hanc traditionem habentes; vt videlicet hoc pacto illi, qui casu aliquo ijs officijs, quæ in depositione defunctorum Catholica exequi solet Ecclesia caruerunt, hac saltem communi commemoratione etiam ipsi ijsdem potirentur: id nobis in primis declarantes, quòd ea, quæ pro defunctis fiunt charitatis officia, magnum illis afferunt emolumentum. Hac igitur de causa sancta Dei Ecclesia omnium defunctorum commemorationem meritò peragit. Præterea verò, cum sequenti die secundum Domini aduentum nobis proponat eadem sancta Ecclesia, satis congruè propterea præcedit defunctorum commemoratio, vt terribilem illum iudicem nostrijs suffragijs mitiorem, & placatiorem defunctis redderemus, quò ille consueta erga nos vtatur misericordia, ac ipsos in promissa constituat gloria. Quin etiam cùm Adæ exilium proxima Dominica sancti Patres essent celebraturi, quasi requiem quandam excogitarūt, & omnium nostrarum rerum finem & terminum per præsentem requiem nobis proposuerunt, vt inde quasi à nouo quodam principio diuina officia exordirentur. Omnium enim nostrarum rerum postrema est inquisitio & iudicium, quod magnus ille iudex circa ea, quæ à nobis in vita gesta sunt, habebit. Sancti quoque Patres idcircò hoc tēpore id etiam faciendum curarunt, vt homines his rebus perterrefacerent, & ad ieiunij certamen eos redderent alacriores. Sabbato autem semper defunctorum commemorationem facimus, cùm Sabbatum Hebraico idiomate requiem significet. Cùm itaque mortui ab omnibus ijs, quæ in vita gerebant quieuerint, etiam eo die, quo requies designatur, quale est Sabbatum, pro mortuis meritò preces effundimus. Nunc autem vniuersaliter pro defunctis omnibus memoriam agimus, pro illis scilicet qui in fide decesserunt Deum orantes. Cùm enim sancti Patres rectè scirent, quòd quæ pro defunctis fieri solent cōmemorationes, eleemosynæ, & Missæ magnum illis

illis afferunt adiumentum, & leuamen; propterea, vt particulariter & communiter id fieret in Ecclesia statuerunt, à sanctis Apostolis, vt prædictum est, edocti. quemadmodum S. Dionysius Areopagita affirmat. Quòd verò ea, quæ pro defunctis fieri consueuerunt, illos iuuent manifestum quidem est, tum ex alijs multis, tum præcipuè ex illa historia, quæ habetur de S. Macario, qui cùm caluariem aridam cuiusdam hominis gentilis in via iacentem inuenisset, interrogauit eum, si quam qui sunt in inferno consolationem haberent: ille verò respondit: Magnum certè refrigerium habent, quando tu pro defunctis oras, ô Pater. Hoc enim cùm magnus ille vir frequenter facere soleret, ac Deum oraret, discere in primis cupiebat, si qua vtilitas defunctis inde oriretur. Gregorius etiam Dialogus precibus suis Imperatori Traiano salutem à Domino impetrauit, cùm à Deo audiuisset, ne ampliùs vnquàm deinceps pro impijs oraret. Theophilum quoque, Deo exosum, Theodora Imperatrix precibus Sanctorum & Confessorum à pœnis inferni eripuit & liberauit, vt nos docent historiæ. Preces etiam pro defunctis vtiles esse Gregorius confirmat cognomento Theologus in oratione funebri, quam pro fratre Cæsario scripsit. Nec non Magnus Chrysostomus in oratione ad Philippenses, dum hæc ait. Excogitemus fratres defunctis aliquam vtilitatem, largiamur illis quod possumus auxilium, eleemosynas inquam, & oblationes: afferunt enim eis magnam hæc vtilitatem, & magnum lucrum & iuuamen. Non enim temerè & casu quodam hæc sancita sunt, & sanctæ Dei Ecclesiæ à sapientissimis eius discipulis tradita, vt in tremendis altaris mysterijs commemorationem faceret Sacerdos pro ijs, qui in fide decesserunt. Et iterum: In rerum tuarum dispositione vnà cum filijs, & propinquis cohæredem statuas Deum iudicem, & non omittatur in illa, pauperum memoria, & ego ero tibi, ne dubites, fideiussor. Dicit etiam Magnus ille Athanasius: licet in aerem fuerit dissolutus is, qui in fide decessit, ne tamen te pigeat oleum & ceram in illius sepulchro accendere, Christum Deum inuocando: grata enim sunt ista Deo, & magnam afferunt retributionem. Si namque peccator fuit, qui defunctus est, eius peccata delebis: si verò iustus, efficies profectò vt mercedis accessio fiat. Si item hospes aliquis, & pauper existens, non habet qui sui curam gerat, Deus ipse iustus & benignus cùm sit, metietur & illi pro eius inopia, vt ipse nouit, congruam misericordiam. Præterea qui offert pro defunctis, huiusmodi mercedem etiam ipse consequetur, dum charitatem pro salute proximi operatur, instar illius, qui dum alium vngit vnguento, ipse se priùs ipsum beneolentem reddit. Quamobrem illi, qui ea quæ à defunctis sibi exequenda mandantur testamenta etiam ipsa non exequuntur, magno crimini sunt obnoxij. Quousque igitur secundus Domini Aduentus aduenerit, quæcunque pro defunctis charitatis fiunt officia magnam illis afferunt vtilitatem, quemadmodum sancti Patres affirmant, præcipuè verò ijs, qui aliqua bona, licet parua sint operati, dum inter viuos agebant. Quamuis enim nonnulla, vt par est, pro aliorum documento diuina dicat Scriptura, misericordia tamen Dei vt plurimum vincit. Si nanque statera in æquilibrio bonorum & malorum operum fuerit inuenta, vincet misericordia proculdubio: sin autem parum aliquid malis operibus lanx grauetur, & propendeat, vincet iterum summa Dei benignitas. Sciendum præterea quòd se inuicem agnoscunt omnes, qui illic sunt, tum eos, quos aliquando nouerunt, tum etiam eos, quos nunquàm viderunt, vt diuinus docet Chrysostomus ex parabola diuitis, & Lazari: neque id fiet aliqua corporea figura, vna siquidem erit omnium ætas, & priora signa, quibus anteà dignoscebantur relinquent: intuitiuo tamen oculo animæ id assequentur, vt affirmat Theologus in oratione funebri pro Cæsario fratre. Tunc inquiens Cæsarium videbo hilarem & gloriosum, & qualis mihi in somnis sæpè apparuisti ô dilectissime frater. Magnus quoque Athanasius, licet in ijs, quæ ad Principem Antiochum scribit, non ita dicat; tamen in oratione pro defunctis hæc ait, quòd vsque ad communem omnium resurrectionem datum est Sanctis, vt adinuicem se agnoscant & gratulentur: peccatores verò hoc priuantur, Martyribus etiam quæ à nobis fiunt videre concessum est, ac nos visitare, nostriq. curam gerere: tunc verò

omnes

omnes adinuicem se agnoscent quando etiam occulta omnium manifestabuntur. Et paulo infrà. Scire etiam oportet, quòd neque omnes, qui in præcipitijs perierunt, igne etiam & mari, & alijs rebus lethalibus, & frigore, & peste sunt absumpti, Dei mandato id patiuntur: hæc enim sunt Dei iudicia, quorum alia fiunt diuino eius beneplacito, alia permissione, & ex eius scientia; alia item comminatione, ad aliorum videlicet correctionem; & summa prouidentia sua videt omnia atque cognoscit, ac eius voluntate singula perficiuntur, quod de passeribus sacrum affirmat Euangelium: non tamen propterea aliquid necessariò faciendum decernit, præterquàm in aliquibus fortasse, vt cùm primùm aliquis natus fuerit suffocetur, vel moriatur; item alius senex, alius verò infans; sed semel definiuit humanæ vitæ vniuersale tempus, & tot etiam mortis genera. Inter tot igitur tempora contingunt diuersa mortis genera, non tamen quia ab initio Deus singula singulis decreuit; cognoscit tamen singula, & ad singulorum rectam administrationem & ordinationem diuinum consilium, & tempus & mortis genus dispensat. quod quidem, vitæ prædestinationem vocat B. Basilius. Illud etiam terra es, & in terram conuerteris, hoc ipsum innuit. Dicit enim Apostolus ad Corinthios: Quoniam indignè communicatis: ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, videlicet moriuntur. Dauid etiam hæc ait: Ne reuoces me dimidio dierum meorum. Et iterum: Mensurabiles posuisti dies meos. Salomon quoque: Fili honora patrem tuum, vt sis longæuus. Et iterum: Ne moriaris in tempore. Et apud Iob ad Eliphaz Deus hæc dicit. Destruxissem forsitan vos, nisi propter Iob seruũ meum? Quapropter ostendit non esse statutum terminum vitæ. Si verò quis dixerit determinationem Dei intelligendam eius voluntatem non errabit: cui enim vult adijcit: alij verò contra minuit, omnia quidem ad id, quod melius est disponendo, & quando vult modum etiam, & tempus disponit. Terminus igitur vitæ vniuscuiusque est, vt magnus ait Athanasius, Dei voluntas & consilium, & hac ratione & profunditate iudiciorum tuorum, ò Christe Domine, cuncta disponis. Illud etiam S. Basilij hoc ipsum declarat, dum ait, quòd mors aduenit, quando peractus est vitæ terminus: nos verò terminum vitæ voluntatem Dei dicimus. Si enim terminus vitæ aliquis existit, quem præterire non licet, quanam de causa Deum rogamus? Medicos etiam vocamus? & pro filijs preces effundimus? Illud etiam non est prætereundum, quòd pueri baptizati fruentur gloria; qui verò carent baptismo, vel gentilium sunt filij, neque gloriam consequentur, neque ibunt ad gehennam. Egrediens etiam anima è corpore nullam curam gerit de ijs, quæ hic sunt, sed tantùm ea, quæ in alia vita semper meditatur.

Idem Triodion in festo erectionis sacrarum imaginum Dominica prima Quadragesimæ exponit causam institutionis eius festi, & post narratas persecutiones complurium Impp. Iconoclastarum aduersus illas & earum pios cultores, subdit de impio Theophilo, qui miraculo deinde diuino, & seruorum Dei, & pijssimæ eius coniugis Theodoræ Augustæ precibus, post obitum saluus factus est, hisce verbis:

Huic (scilicet Leoni Armeno) iterum Amorrhæus succedit Michael, & huic Theophilus filius, qui alios in persequendis Sanctorum imaginibus longè superarunt. Hic igitur Theophilus multos sanctorum Patrum pœnis & tormentis inauditis cùm afflixisset propter sanctas imagines, iustitiæ nihilominus in primis studiosissimus fuit: vt cùm aliquando, si quis esset in vrbe, qui alteri molestiam afferret, sciscitaretur, nullus, vt aiunt, multis diebus fuit inuentus. Cùm autem duodecim regnasset annis, & disenteriæ morbo correptus, è viuis excedere deberet, os suum supra modum aperuit, ita vt etiam viscera ipsa intueri liceret. Augusta verò Theodora maximo propterea dolore affecta, vix ad somnum conuertitur, & visionem intuetur huiusmodi. Immaculatam scilicet Dei genitricem, infantem ante omnia secula genitum, vlnis gestantem, & Angelis lucidissimis circumseptam, Theophilum autem eius coniugem ab ipsis flagris & contumelijs affectum. Cùm igitur somnus ipsam dimisisset, & Theophilus parum respirasset, vehementer exclamauit: Hei mihi misero,

sero, qui propter sanctas imagines percutior. Qua re audita Imperatrix quamprimùm Dei genitricis imaginem super ipsum collocat, illam multis cum lacrymis deprecans. Theophilus verò licet ita se haberet cùm vidisset astantium quendam imaginem paruam collo alligatam gerentem, illam arreptam osculabatur, & venerabatur. Quapropter continuò illud os, quod anteà aduersus imagines rugiebat, & guttur quod ita turpe apertum cernebatur, ad priorem statum conuersum est, & à frequenti illa angustia, & molestia requieuit, & obdormiuit: cùm anteà apertè confessus esset, bonum esse sanctas imagines honorare, & venerari. Cùm itaque Imperatrix è suis arculis venerandas, & sanctas imagines eduxisset, toto pectore nitebatur Theophilum adducere, vt illas veneraretur: paulò tamen post tempore, Theophilus excedit è vita, & Theodora reuocatis illis omnibus, qui in exilio, & carceribus detinebantur, vt liberè agerent illis præcepit. Quinetiam Ioannes ex Patriarchali throno deturbatur, qui Iannes, & Mantiarcha, necnon Dæmoniarcha potiùs quàm Patriarcha esset dicendus. At Christi Confessor Methodius iterum Patriarchalem sedem recipit, multa antea passus, & in sepulchro, in vinculis vitam agens. His ita se habentibus res quædam diuinitùs apparet contigisse Ioannicio illi Magno, dum in Olympo monte vitam monasticam exerceret. Magnus enim ille Arsacius asceta ad ipsum accedens, hæc ait: Deus me ad te misit, vt quamprimùm ad venerabilissimum virum Esaiam cognomento Inclusum, Nicomediam accedentes ab ipso discamus, quæ Deo sint placita, & eius sanctæ Ecclesiæ congrua. Quapropter cùm ad venerabilissimum Esaiam accederent hæc audiunt ab ipso: Hæc dicit Dominus: Ecce peruenit finis inimicorum meæ imaginis. Vos igitur ad Imperatricem Theodoram, necnon ad Patriarcham Methodium properantes, hæc illi annuntiate. Procul abire præcipe omnes profanos homines, & ita cum Angelis sacrificium mihi offer, imaginis meæ, & crucis effigiem veneratus. Hæc cùm illi audissent quamprimùm se Constantinopolim conferunt, & hæc omnia Methodio Patriarchæ, & omnibus electis Dei annuntiant. Hi verò congregati ad Imperatricem accedunt, & ipsam in omnibus obsequentem inueniunt, ab incunabulis enim fuerat pia, & Deum timens. Quamprimùm propterea Imperatrix Deiparæ imaginem, quam è collo pendētem gestabat extrahens, coram omnibus illam venerabatur, hæc inquiens: Si quis has imagines non adorat, & veneratur, relatiuè quidem, & habitudine quadam, non latricè, non vt Deos, sed tanquàm imagines Archetyporum propter reuerentiam ipsorum, sit illi anathema. Hi verò magno repleti sunt gaudio. Imperatrix præterea illos enixè orat, vt pro Theophilo viro suo preces Deo effundant, qui conspecta illius fide, licet inuiti, persuadentur tamen. Quapropter sanctus Methodius congregato vniuerso populo, necnon, & Clero, & Episcopis omnibus in magna Dei Ecclesia illuc aduenit, inter quos erant illustres illi viri, qui ex Olympo venerant, Magnus videlicet Ioannicius, & Arsacius, & Naucratius, & discipuli Theodori Studitæ, & Theophanes ille ex magno agro, & Theodorus, qui litteris in facie scripti fuerant, & Dei Confessores extiterant. Michael etiam Hagiopolita, & Syncellus, & alij plurimi, qui totam noctem pro Theophilo Deum exorant, omnes quidem cum lacrymis, & frequenti oratione Deum laudantes; idq. per totam primam hebdomadam Quadragesimæ peragebatur: quin & ipsa Imperatrix Theodora hæc eadem cum mulieribus, & reliquo populo facienda curabat. Quæ dum ita se haberent, Theodora Imperatrix diluculo sextæ feriæ somno detenta, sibi videbatur apud Columnam, quæ dicitur Crucis, reperiri, & quosdam illac magno cum strepitu præterire, diuersa tormentorum genera secum ferentes, in quorum medio vinctus agebatur Imp. Theophilus manibus retro vinctis, quem cùm agnouisset Imperatrix, consequebatur & ipsa illos, qui eum deducebant: cùm autem ad æneam portam peruenissent, vidit virum quendam aspectu mirabilem, qui ante imaginem Christi sedebat, ad hunc cùm Theophilum illi attulissent, stiterunt eum. Quibus visis Imperatrix pedibus eius prouoluta pro Imperatore intercedebat. At ille dixit aperto ore, Magna est fides tua ò mulier: Scito igitur quòd propter tuas

lacry-

lacrymas, fidemq. tuam, necnon propter preces, & intercessiones seruorum meorum & Sacerdotum, Theophilo viro tuo ignosco. Deinde ait illis, qui ipsum deferebant: Soluite eum, & tradite vxori suæ, quæ illo recepto recessit, exultans & gaudens, & continuò somnus illam dimisit. Hæc quidem Theodora Imperatrix vidit in somnis. Patriarcha verò Methodius dum preces & orationes ab ipso fiebant, recenti pagina accepta scripsit in ipsa omnium hæreticorum Imperatorum nomina, inter quos & Theophilum collocauit, & hanc paginam sub sancto altari posuit occultè, vt nullus animaduerteret. Feria verò sexta etiam ipse Angelum quendam terribilem conspicit, qui magnam ingrediebatur Ecclesiam, & cùm illi appropinquasset, hæc aiunt dixisse: Exaudita est oratio tua ò Episcope, & veniam obtinuit Imp. Theophilus: Non amplius igitur pro eo Deo sis molestus. Hic autem vt experiretur, an vera esset visio, ad altare accedens, accepta charta, eaq. aperta inuenit (ò Deum iudiciorum) nomen Theophili omninò diuinitùs deletum. Hæc cùm didicisset Imperatrix magno perfusa est gaudio, & Patriarchæ significat, vt vniuersum congreget populum, vnà cum venerandis crucibus, & sanctis imaginibus in magna Dei Ecclesia, vt illi sanctarum imaginum ornamentum restituatur, & nouum miraculum omnibus manifestetur. Cùm itaque omnes ferè in Ecclesia essent congregati, cum cereis accensis, Imperatrix etiam vnà cum filio accedit, & facta processione cum sanctis imaginibus, & sacris, & venerandis sanctæ crucis lignis, & sacro, & diuino Euangelio vsque ad illum locum quod Milliare nuncupatur, egressi sunt, Domine miserere, alta voce clamantes, & ita rursus ad Ecclesiam reuersi sacram Liturgiam confecerunt, erectis videlicet sanctis & venerabilibus imaginibus à præfatis sanctis viris, celebrando, & omnia bona imprecando pijs omnibus, & ijs, qui recta de Catholica fide sentiunt; sicut è contra impijs & qui sanctarum imaginum honorem respuunt interdictis, & anathemate damnatis. Quinimo ex illo tempore statuerunt illi sancti Confessores, vt singulis annis hæc sacra panegyris celebretur, vt non amplius in eandem impietatem impingamus. Tu verò Christe, qui es imago Patris immutabilis, precibus sanctorum Confessorum tuorum miserere nobis. Amen.

S. Isidorus libro primo de Ecclesiasticis officijs cap. xviij. De sacrificio, vbi sic habet.

Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim vbique Catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. Nam & cum Dominus dicit: Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro, demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda. Ergo in quodam loco à sancto Augustino dictum est, defunctorum animas sine dubio pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium offertur, vel eleemosynæ fiunt; si tamen aliquod sibi quisque meritum præparauit, dum adhuc in corpore viueret, pro quo ista prosint, quæcunque pro illo fiunt. Nam non omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Nam pro valdè bonis gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis propitiationes sunt: pro valdè malis, & si nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque consolationes viuorum sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio peccatorum, aut certè, vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Matth. 12.

Alcuinus de diuinis officijs, tit. de exequijs mortuorum & eorum commemoratione.

Sequuntur orationes ad commendandam animam. De his ita Augustinus in libro de cura agenda pro mortuis, & in libro Ciuitatis Dei. Qui facit, inquit, exequias mortuorum, ob amorem illius facit, qui promisit corpora resurrectura: neque enim contemnenda sunt, & abijcienda corpora defunctorum, maximè fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia opera bona vsus est Spiritus sanctus. Vnde, & antiquorum fidelium funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ ac sepulturæ

turæ prouisæ. Ipsiq. cùm viuerent de sepeliendis, seu transferendis suis corporibus filijs mandauerunt, & Tobias sepeliendis mortuis Deum promeruisse commendatur. Ipse Dominus die tertia resurrecturus, gloriosæ mulieris bonum opus prædicit prædicandum; & Ioseph, qui eum sepeliuit mirè collaudatur. Ac ideo pro nostris defunctis certare debemus, quatenus possint participes fieri eorum, quos Christus à claustris reuocauit inferni. Simili etiam modo celebramus officia pro ipsis, quomodo celebrantur in illis diebus quando Christus descendit ad inferna, in quibus, & creditur mortuus: Denique in aliquibus locis generaliter pro omnibus defunctis omni tempore, exceptis Pentecostes, & festis diebus, oratur in officio vespertinali, in aliquibus quotidie pro eis Missa celebratur. In kalen. etiam seu diebus anniuersarijs per nouem Psalmos, & Responsoria, seu Lectiones simili modo officia persoluuntur; & ideo iuxta Augustinum non prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus Christianis fidelibus, etiam tacitis nominibus eorum sub generali cômemoratione suscepit Ecclesia, vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut qualescunque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeatur matre communi. Si autem deessent istæ supplicationes, quæ fiunt recta & pia fide pro mortuis, puto quòd nihil prodesset spiritibus eorum, si quamlibet locis sanctis exanima corpora ponerentur.

Et infrà. Quapropter & nos pro valdè charissimis ieiunare, seu eleemosynas facere, atque interius pro eorum reatibus flere debemus, vt quod illi in vita debuerunt facere, & non fecerunt, saltem nos pro illis cum Dei auxilio adimpleamus. Interea dicunt aliqui, vtrum pro omnibus Christianis licitum sit Missas celebrare. Hinc Augustinus: Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatori offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerêt, hæc sibi vt postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt hæc non requirat: & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cùm ab hac vita transierit, adiuuari. Quapropter oportet pro omnibus regeneratis ista facere, vt nullus eorum prætermittatur ad quos hæc beneficia possint, & debeant peruenire. Et subdit de exemplo captiui carcerati, pro quo frater presbyter quotidie celebrabat Missam de mortuis, & eius quotidie vincula soluebantur, & demum fuit absolutus, & dimissus.

Præsertim cùm quidam ab hostibus captus, vinculisq. ferreis mancipatus, à quodam seruo Dei, scilicet germano suo, vt putabatur mortuus, celebratis pro eo quotidie Missis more mortuorum, sæpissimè vincula soluerentur, à quibus posteà absolutus est.

Sed hoc factum pleniùs refert Beda in historia Ecclesiastica Anglorum lib. iiij. cap. xxij. vt suprà retulimus ex eo.

Amalarius lib. iij. cap. xliiij. De Missa pro mortuis, narrat dictam historiam: legimus in historia Anglorum quendam Presbyterum opinatum esse de fratre suo, quòd mortuus esset in prælio, qui tamen non erat mortuus sed vulneratus, & vinculatus. Mox memoratus Presbyter non expectauit tertium diem, neque septimum, neque tricesimum, sed frequentissimè celebrauit pro eo Missas. Tempore Missæ quotidie soluta sunt vincula vulnerati, scriptum est volumine memorato libri iiij. cap. xxiiij. Cumq. vidisset, qui emerat eum se vinculis non potuisse cohibere, donauit ei facultatem redeundi, si posset. A tertia autem hora, quando Missæ fieri solebant, sæpissimè vincula soluebantur. At ille iureiurando promisit, vt rediret, vel pecuniam illi pro se mitteret. Et post pauca: Qui post hæc in patriam reuersus, atque ad suum fratrem perueniens, replicauit ex ordine cuncta, quæ sibi aduersa, quæve in aduersis solatia prouenissent: cognouitq. referente eo, illis maximè temporibus sua fuisse vincula soluta, quibus pro se Missarum fuerant celebrata solennia.

Solet vulgus requirere, si pro omnibus Christianis licitum sit Missam celebrare. Quibus Augustinus respondet in libro Enchiridion. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium posse releuari, cùm pro illis sacrificium mediatori offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, hæc sibi, vt postea possint prodesse meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt is hæc non requirat; & est rursus talis in malo, vt nec his valeat cùm hæc vita transierit adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam, vel grauari. Et paulò post: Cùm de sacrificio siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis propitiationes sunt: pro valdè malis etiam si nulla sint adiumenta mortuorum, qualescunque viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio: aut certè, vt eò tolerabilior fiat ipsa damnatio. Vnde iterum ad Paulinum de cura pro mortuis gerenda, libro secundo. Quamuis non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed eis tantum pro quibus dum viuunt comparatur, vt prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Meliùs enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quàm eis deerunt, quibus prosunt, &c.

Et libro quarto cap. xlj. De exequijs mortuorum. Inter has ambiguitates occurrit mihi vt legerem Augustinum de Ciuitate Dei, & ad Paulinum de Cura pro mortuis gerenda. Pauca inde excerpsi, quibus tamen intelligi potest, exequias nos debere facere circa mortuos nostros potiùs pro nostra salute, quàm pro illorum, & si non fuerint exequiæ, ipsis, qui in Christo mortui sunt, nihil obesse; & quòd qui eis facit exequias, ob amorem illius facit, qui promisit corpora resurrectura. Dicit idem in primo libro de Ciuitate Dei cap. xij. Multa itaque corpora Christianorum terra non texit: sed nullum eorum quisquam a cœlo & terra separauit, quam totam implet præsentia sui, qui nouit vnde resuscitet quod creauit. Dicitur quidem in Psalmo: Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cœli; carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Et paulò post. Quamuis enim hæc in conspectu hominum dura, & dira videantur, sed pretiosa est in conspectu mors sanctorum eius. Proinde omnia ista, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. Iterum in eodem libro cap. xiij. Nec ideo tamen contemnenda, & abijcienda sunt corpora defunctorum, maximè iustorum atque fidelium, quibus tanquam organis, & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi, tantò charius est posteris, quantò erga parentes maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multo familiariùs atque coniunctiùs quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa, ipsiq. cum viuerent, de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filijs mandauerunt. Et Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse teste Angelo commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumq. commendat, quod vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum, diligenter atque honorificè tegendum, sepeliendumq. curarunt. Verùm istæ auctoritates non hoc admonent, quod insit vllis cadaueribus sensus, sed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant propter fidem resurrectionis astruendam. Vbi, & illud salubriter

Psal. 78. a

ter

ter diſcitur quanta poſſit eſſe remuneratio pro eleemoſynis, quas viuentibus, & ſcientibus exhibemus, ſi neque hoc perit apud Deum, quod exanimis hominum membris officia diligentiæq. perſoluũtur. Ex iſtis verbis S.Auguſtini apparet, quòd propterea debeamus exequias celebrare circa mortuorum hominum corpora, quia Deus vult ea reſuſcitare'. Ecce manifeſtæ ſunt exequiæ mortuorum, manifeſtatusq́. eſt affectus hominis, qui debet eſſe circa exequias mortuorum.

Rabanus Maurus de inſtitutione Clericorum lib.ij. cap.xliiij. De ſacrificijs pro defunctis offerendis.

Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum orbem hoc cuſtoditur, credimus quòd ab ipſis Apoſtolis traditum ſit. Hoc enim vbique Catholica tenet Eccleſia, quę niſi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum ſpiritibus, vel eleemoſynam faceret, vel ſacrificium Deo offerret. Nam & cùm Dominus dicit: Qui peccauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei in hoc ſeculo, neque in futuro, demonſtrat quibuſdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda. Ergo vt in libris Dialog. S.Gregorius narrat, & Beda Magiſter in geſtis Anglorum refert, frequenter exemplo oſtenſum, ſeu viſione reuelatũ eſt, animabus defunctorum multùm prodeſſe oblata pro eis ſacrificia. Et in quodam loco dictum eſt à S.Auguſtino, defunctorum animas ſine dubio pietate ſuorum viuentium releuari, cùm pro illis ſacrificium offertur, vel eleemoſynæ fiunt: ſi tamen aliquod quiſque ſibi meritum præparauit, dum adhuc in corpore viueret, pro quo iſta proſint quæcunque pro illo fiunt. Nam non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ, quam quiſque geſſit in corpore, nam pro valde bonis gratiarum actiones ſunt; pro non valdè bonis, & non valdè malis, propitiationes ſunt, pro valde malis, etiamſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcunque tamen viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio; aut certè, vt tolerabilior fiat ipſa damnatio. *Matth 12. c.*

Durandus libro vij. Rationalis cap.xxxv.num.xix.

Et nota quòd ſuffragia, quæ fiunt in Eccleſijs pro defunctis valdè bonis actiones ſunt gratiarum. Illæ enim animæ quæ ſunt perfectè bonæ, ſtatim cùm egrediuntur à corporibus euolant ad cœlos, nec ſubſidijs noſtris egent. Pro valdè malis fiunt qualeſcunque conſolationes viuorum: Eis enim ſubſidia noſtra non proſunt, quoniam animæ illorum ſtatim deſcendunt ad infernum. Pro mediocriter bonis, qui ſcilicet ſunt in Purgatorio, fiunt expiationes; pro mediocriter malis, qui ſcilicet ſunt in Inferno, fiunt propitiationes, ſiue pœnarum mitigationes. Nam ſecundum Auguſtinum, quibus proſunt, aut proſunt vt ſit plena remiſſio; aut certè vt tolerabilior ſit damnatio. xiij.q.ij. tempus in fine. Quidam tamen pro eodem ſumunt mediocriter bonos, & mediocriter malos, quos vocant non valdè bonos, qui videlicet intrant Purgatorium: qui viuentes iniunctam pœnitentiam non perfecerunt, quibus proſunt eleemoſynæ, orationes, ieiunia, & ſacrificia, quæ pro eis fiunt: nam, vt dicunt, eis qui ſunt in inferno nihil proſunt.

Concilium Oecumenicum Florentinum ſeſſ.xxv.& vltima, & habetur in Bulla Eugenij Papæ IIII. ſuper vnione Græcorum, incipien. Lætentur cœli, & exultet terra. Sub Datum Florentię in ſeſſione publica Synodali ſolenniter in Eccleſia maiori celebrata', anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCXXXIX. pridie Nonas Iulij, Pontificatus ſui anno nono, in quarto capite de Purgatorio, ita diffiniuit, & declarauit.

Item ſi verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatorijs poſt mortem purgari, & vt à pœnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta: illorumq́. animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus (prout ſuperius dictum eſt) ſunt purgatæ, in

cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum, sicuti est, meritorum tamen diuersitate alium alio perfectiùs: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Sacrosanctum Concilium Tridentinum sess. xxij. De sacrificio Missæ cap. ij.

Et quoniam in diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit; docet sancta Synodus, sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumq. fieri, vt si cum vero corde & recta fide, cũ metu & reuerentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Vna enim eademq. est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa. Cuius quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc vberrimè percipiuntur: tantùm abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.

Et canone primo.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

Et canone tertio.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, anathema sit.

Item sess. xxv. in Decreto de Purgatorio.

Cùm Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione, in sacris Concilijs, & nouissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasq. ibi detentas fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio iuuari; præcipit sancta Synodus Episcopis, vt sanam de Purgatorio doctrinam à sanctis Patribus & sacris Concilijs traditam, à Christifidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari diligenter studeant.

Et infrà. Curent autem Episcopi, vt fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaq. pietatis opera, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus defunctis fieri consueuerunt, secundùm Ecclesiæ instituta piè & deuotè fiant; & quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, sed à Sacerdotibus & Ecclesiæ ministris, & alijs, qui hoc præstare tenentur, diligenter, & accuratè persoluantur.

DE SACRAMENTO Matrimonij.



PArochus admonitus de aliquo matrimonio in sua parochia contrahendo, primùm cognoscat ex his ad quos spectat, qui & quales sint qui matrimonium contrahere volunt; an inter eos sit aliquod canonicum impedimentum; vtrum sponte, liberè, & secundùm honestatem Sacramenti velint contrahere; vtrum sint in ætate legitima, vt vir non sit minor quatuordecim, mulier duodecim annis.

Nouerit ex sacris Canonibus, & ex Theologis vel Canonistis, aut saltem ex Summistis, quæ sint canonica impedimenta contrahendi matrimonij; quæq. contractum dirimant.

Gradus quoque consanguinitatis & affinitatis cognitos habeat; & meminerit hodie vsque ad quartum gradum inclusiuè contrahi non posse ex dispositione Concilij generalis. Quodq. Clemens Papa V. in Concilio Viennensi eos, qui diuino timore postposito in suarum periculum animarum scienter in huiusmodi gradibns consanguinitatis & affinitatis diuina vel canonica constitutione interdictis; aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: necnon Religiosos professos & Moniales ipsas & Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, excommunicationis sententiæ ipso facto subiacere decreuit. Præcipiens Ecclesiarum Prælatis, vt illos quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publicè tamdiu nuntient, seu à suis subditis faciant nuntiari; donec suum recognoscentes errorem, separentur ab inuicem, & absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per prædicta quoque iuribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo voluit derogari. *Sub Innocent. III. cap. 50. & habetur cap. Non debet. de consang. & affinit. & Clement. I. eod. tit.*

Et insuper preter eas pœnas Religiosi professi, Moniales & Clerici in sacris existētes, in suspicionē siue notam hæreseos, contra cœlibatus seu continentiæ votum, incurrunt.

Sciat etiam quomodo spiritualis cognatio, quæ ex Baptismo & Confirmatione prouenit, à Concilio Tridentino coarctata sit; vt scilicet in Baptismo inter patrinum seu matrinam, ac baptizatum & illius patrem & matrem; necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq. patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio con trahatur. In Confirmatione verò confirmantem & confirmatum, illiusq. patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur. *Sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.*

Cùm matrimonia inter Catholicos & hæreticos sint saluti animarum valdè periculosa, & Orthodoxæ fidei aduersantia: non sunt cum hæreticis nuptiarum fœdera celebranda seu miscenda connubia; nec eis filios vel filias dare oportet, sed magis accipere; si tamen Christianos & Catholicos se fieri promittant, iuxta veterum Canonum disciplinam. Quare hæretici, siue mares siue fœminæ ad coniugium Catholicorum non sunt admittendi, sed ab eo (quantum fieri potest) repellendi; nisi resipuerint, ac fidem Catholicam profiteantur, ac hæreses & errores iudicio Ordinarij abiurauerint atque anathematizauerint, & absoluti Ecclesiæ gremio reconciliati fuerint. Quòd si Catholici cum hæreticis de facto matrimonium contraxerint, vt in partibns Transalpinorum hæreticorum fieri solet, illud quidem (si aliud non obsistat canonicum impedimentum) valet; sed à contrahentibus manifestè peccatur. *Concil. Agathen. cap. 67.*

Parochus autem caueat, ne passim omnes ad matrimonium contrahendum admittat, quorum ipse notitiam non habet, præsertim vagos & peregrinos, & qui incertas habent sedes; nisi diligenti de illis facta inquisitione & re ad Ordinarium delata; & nisi ab eo licentiam eos ad matrimonium admittendi obtinuerit.

Caueat etiam, ne ad matrimonium admittat aliquem ex ijs, qui antea coniugati seu coniuncti fuerunt, vt sunt vxores militum, captiuorum, vel aliorum qui peregrinan-

tur, etiam si ad longum tempus, etiam per quinque annos, vel septem, vel quantumcunque annorum numerum expectauerint; nisi certum nuntium habeant de morte viri, vel etiam vxoris, quem omninò habere debent: alioquin iuxta sacros canones ad alias nuptias conuolare non debent, nec permittuntur.

Conuenit etiam vt Parochus sciat, vtrum cum voluntate parentũ contrahant, an non. Id autem, non quòd illorum consensus necessariò requiratur; sed vt sciat causam, quare sine ipsorum voluntate contrahatur.

Concil. Trid. sess. 24. cap. 1.

Moneat autem parentes, curatores, & eos qui iuuenibus præsunt, vt liberorum, & eorum qui suę fidei commissi sunt, diligentem curam gerant; & si vel incontinentes, vel procliues esse ad libidinem viderint, iungant potius matrimonio, quàm eos in carnis peccata prolabi sinant.

Moneat etiam dominos, qui Christianos seruos & ancillas habent, vt si eos nouerint fornicari, illos matrimonio inter se copulari curent.

Cap. Requisiuit, & c. Gemma, de sponsa.

Et cùm matrimonia libera esse debeant, & ab eis omnis metus vel coactio longè abesse; caueat nequod matrimonium, cui ipse interuenire debet, dolo, fraude, aut vi, metuve contrahatur.

Sess. 24. de reform. matrim. cap. 9.

Cùm verò maximè nefarium sit matrimonij libertatem violare, & ab eis iniurias nasci, à quibus iura expectantur, sacrosanctum generale Concilium Tridentinum præcepit omnibus dominis ac Magistratibus temporalibus, cuiuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quominùs liberè matrimonia contrahant.

Quæ omnia vt seruet, probè norit quicquid dictum sacrum Concilium Tridentinum decernit sess. xxiiij. de Sacramento & reformatione matrimonij, cuius canones & decreta sæpius populo publicare & explicare debet, & in primis illud, quod aduersùs clandestinas nuptias promulgauit, videlicet.

De reformatione Matrimonij sess. xxiiij. caput j.

Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde iure damnandi sint illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant; quiq. falsò affirmant, matrimonia à filijsfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominùs sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Verùm cùm sancta Synodus animaduertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse; & grauia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis coniugijs ortum habent: præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcircò sacri Lateranensis Concilij sub Innocentio III. celebrati vestigijs inhærendo præcipit, vt in posterùm antequàm matrimonium contrahatur, TER à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.

Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur; vbi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vniuscuiusque Prouinciæ ritum.

Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes; tunc vel vna tantùm denuntiatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur: deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant; vt si aliqua subsunt

impe-

impedimenta faciliùs detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prędictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudentiæ & iudicio sancta Synodus relinquit.

Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò INHABILES reddit, & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.

Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho vel Sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit.

Prætereà eadem sancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitq. benedictionem à proprio Parocho fieri; neque à quoquam nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij Sacerdoti concedi posse; quacunque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio, non obstante.

Quòd si quis Parochus, vel alius Sacerdos siue regularis, siue secularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit: ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur.

Habeat Parochus librum in quo coniugum & testium nomina, diemq. & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat.

Postremò sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequàm contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.

Si quæ Prouinciæ alijs vltra prędictas, laudabilibus consuetudinibus & cęremonijs hac in re vtuntur, eas omninò retineri sancta Synodus vehementer optat.

Ne verò hæc tam salubria præcepta quenquam lateant, Ordinarijs omnibus præcipit, vt cùm primùm poterunt, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum diœcesum parochialibus Ecclesijs; idq. in primo anno quamsæpissimè fiat; deinde verò quoties expedire viderint.

Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos. Hæc ibi. QVAE solicitus Parochus non modò sedulò publicare, & rectè explicare curet; verùm etiam quantùm ad se pertinet diligenter tenere & obseruare, atque accuratè exequi & implere studeat.

His igitur cognitis, antequàm matrimonium contrahatur, iuxta dictas constitutiones generalium Conciliorum Lateranen. & Tridentini, fiant tres denuntiationes tribus continuis festiuis diebus publicè in parochiali Ecclesia fœminæ seu sponsæ: vel, si sit consuetudo, in Ecclesia sponsi, vel etiam vtriusque, si contrahentes sint diuersæ parochiæ, & inter Missarum solennia.

Denuntiationes autem fiant hoc modo. Dicto Euangelio Parochus conuersus ad populum in hanc sententiam vulgari sermone loquatur.

Notum sit omnibus hic præsentibus, quòd N. vir & N. mulier Deo adiuuante intendunt inter se contrahere matrimonium. Proinde admonemus omnes & singulos, vt si quis est, qui nouerit aliquod consanguinitatis vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quoduis aliud impedimentum inter eos esse, quod matrimonium contrahendum inuicem impediat, illud intra terminum sex vel nouem, aut tot dierum nobis denuntiare debeat, & hoc admonemus primò, si fuerit prima denuntiatio; vel secundò, si fuerit secunda denuntiatio; vel tertiò, si fuerit tertia denuntiatio.

Si interim constiterit de aliquo impedimento, interdicatur eis, ne contrahant, sed desistant. Si autem dubium extiterit, vel perplexitas aut probabilis suboriatur suspicio de aliquo impedimento, remittat eos ad Episcopum, vel alium Ordinarium superiorem suum; nec ad vlteriora procedat, nisi de illius declaratione & mandato. Sin autem nullum proferatur impedimentum, sed adhuc aliqua possit subesse suspicio, Parochus ex officio cautè inquirat, num illa sit probabilis, & ad maiorem cautelam virum & mulierem contrahere volentes priuatim & seorsum alloquatur in hunc fermè modum.

Ego ex parte Dei admoneo vos, vt mihi dicatis, si scitis aliquod legitimum impedimentum, quod vos detineat vel impedire possit ab hoc matrimonio legitimè contrahendo, videlicet vtrum sitis consanguinei vel affines vsque ad quartum gradum inclusiuè, vel aliqua inter vos extet spiritualis cognatio; & an aliquis vestrum cum aliqua persona contraxerit per verba de præsenti, vel de futuro; vel fecerit votum religionis aut castitatis, vel habeat alia impedimenta canonica, quæ matrimonium contrahendum impediant, vel contractum dirimant.

Et in eandem formam admoneat & alloquatur parentes seu consanguineos contrahentium: & si ex eorum confessione deprehendat aliquod subesse impedimentum, caueat ne cùm matrimonium sine peccato propter huiusmodi impedimentum contrahi non possit, in eo interueniat, neve adhibeat auctoritatem. Verùm si ambiguè & perplexè responderint, vnde dubitandum sit, vel aliàs probabilis appareat coniectura contra matrimonium contrahendum, non interponat auctoritatem suam, sed contractus eis interdicatur expresè, iuxta generalis Concilij constitutionem, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis.

At respondentibus se nulla habere impedimenta canonica, poterit eos paucis verbis admonere, ne temerè & inconsultè, neve libidine aut auaritia, aut quauis inhonesta causa matrimonio se obstringant; atque vt meditentur antea leges, & onera, & incommoda matrimonij, & cogitent eo inuicem alligari, & in perpetuum alligatos manere; & posteà non posse resilire, cùm matrimonium sit consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio; ac indiuiduam vitæ consuetudinem contineat.

Admoneat etiam eos, vt postquàm contraxerint, sese mutuò & incommoda matrimonij patienter ferant, contenti ea in qua vocati sunt vocatione.

Appropinquante nuptiarum celebratione instandum est orationi à sponsis, & eorum parentibus ac domesticis; & procurandum vt ab alijs precationes fiant, & Missæ celebrentur; & celebrari poterit Missa de Spiritu sancto, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum &c. cum prima oratione, Deus, qui corda fidelium &c. cum secunda oratione de beata Virgine, Concede nos famulos tuos &c. & cum tertia, Prætende Domine fidelibus tuis dexteram &c. vt in Missali.

Admoneantur Prætereà à Parocho sponsus & sponsa, vt, cùm Matrimoniū inter Christianos sit vnum è septem Sacramentis Ecclesiæ & gratiam conferat, se ad illud religiosè contrahendum parent, ac se in primis disponant ad Sacramentalem peccatorum suorum confessionem faciendam, in qua vel ab ipso Parocho, vel ab alio eorum Sacerdote Confessario de vi & vinculo huius Sacramenti Matrimonij, & quomodo in eo viuere & conuersari debeant, seriò instruantur ex sacra Scriptura, iuxta ea quę
Gen. 2. d. dicta sunt à primo parente nostro Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in car-
Matth. 19. a ne vna. Et à Christo Domino in Euangelio: Ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna: itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus
Ephes. 5. e coniunxit, homo non separet. Et quod ex ijs Apostolus repetit: Viri, inquiens, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse
f sibi gloriosam Ecclesiam, non habētem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi:

sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam, quia mẽbra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

Cumq. Matrimonium à Deo sit institutum, tum præcipuè ad sobolem procreandam, quæ ad Dei cultum educetur; tum etiam in remedium incontinentiæ, & ad vitandam fornicationem, sanctè illo postmodùm vti, religiosè colere, honestum ducere, honorificè pertractare, seipsos mutuò diligere, & fidem quam inuicem sibi dederint, inuiolatam vsquè ad mortem perpetuò seruare debebunt, sicut & Apostolus docet: Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum; & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis & testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Et alibi: Honorabile connubium in omnibus & torus immaculatus: Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Et sanctus Raphael Angelus Tobiam iuniorem docebat: His qui matrimonium ita suscipiunt, vt Deum à se & sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, dæmonium præualere potest, & potestatem habet super eos. Tu autem cùm acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filijs consequaris, prout & fecerunt. Nam prima nocte Tobias hortatus est virginem dicens: Sara, exurge & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur; tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio. Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicut gentes, quæ ignorant Deum. Surgentes autem pariter instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.

1. Thess. 4. a · *Hebr. 13. a* · *Tobiæ 6. c* · *Tobiæ 8. a*

Ex his etiam admoneantur sponsi in eadem Sacramentali Confessione ab eodem Parocho vel dicto Confessario viro prudente & discreto, pro eorum ætate, qualitate, sexu & iudicio, vt actus coniugales quanta maxima poterunt honestate & pudore ineant, non libidini aut voluptati inseruientes, sed debito legis & Sacramenti obsequentes; & non ex ardore carnis & luxuriæ, vt bruta animalia ratione carentia; sed vt rationabiles homines ac Deum timentes, & Matrimonij Sacramentum honorantes, & se fideles & filios sanctorum agnoscentes, & causa prolis suscipiendæ, & debitum coniugi reddendi, vt tenentur. Nec huiusmodi actu coniugij vtantur, nisi modo debito, licito & naturali: neque conueniant tempore menstruorum: vtq. actu Matrimonij in magnis festiuitatibus, diebus ieiuniorum & processionum, & cùm sacram Eucharistiam sunt percepturi, communi consensu per triduum ante & posteà, quoad poterunt, reuerenter abstineant.

Sortilegia, & res superstitiosas nec in tractatu, nec in contractu, neque in vsu Matrimonij vllo modo adhibeant.

Cæterùm sibijnuicem debitum non denegent, scientes illud Apostoli: Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat, vxori vir debitum reddat; similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. *1. Cor. 7. a*

Moneantur etiam, vt filios in pietate & timore Domini educent, benè & rectè instituant; domum & familiam prudenter & piè regant; & eleemosynis pauperes adiu-

adiuuent; remq. familiarem iniustis modis non augeant.

Et quòd si hæc obseruauerint, & honestè sanctéq. & religiosè in matrimonio vixerint, prolem, pacem, gaudium, atque prospera cuncta eis Dominus concedet, quantum ipsius gloriæ, eorumq. saluti expedierit; ac tandem in cœlis præmia eis largietur æterna.

Adhortetur etiam Parochus seu Confessarius, vt similiter antequàm matrimonium contrahant, iuxta sacri Concilij Tridentini hortationem, post tamen Sacramentalem peccatorum suorum Confessionem, sacram percipiant Eucharistiam; præsertim si solennis benedictio nuptiarum, in qua id fieri conuenit, non statim futura sit, sed aliquandiu differenda.

Postquàm verò Matrimonium contraxerint per verba de præsenti, iidem sponsi admoneantur, vt ante benedictionem Sacerdotalem in Ecclesia suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, & quoad fieri poterit, non statim consummeot matrimonium; sed ad conciliandum sibijnuicem mutuum amorem & coniugalem affectum aliquot dierum spatium interponatur, & triduo saltem ante illius consummationem sua peccata confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant, vt idem Concilium hortatur, & orationi ac pijs operibus vacent.

Quamuis vetus sit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, vt quocunque tépore Matrimonium contrahi possit, consensu interueniente legitimo de præsenti, & seruatis de iure seruandis: solennitates tamen nuptiarum, vt sponsorum benedictio, traductio sponsæ in domum sponsi, matrimonij consummatio, festiua conuiuia & choreæ certis temporibus, quibus orationi & contemplationi insistendum est, prohibentur. De his autem generalis Synodus Tridentina ita decreuit, quod & seruandum est.

Ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque in octauam Paschatis inclusiuè, antiquas solennium nuptiarum prohibitiones ab omnibus obseruari sancta Synodus præcipit: in alijs verò temporibus nuptias solenniter celebrari permittit; quas Episcopi, vt ea qua decet modestia & honestate fiant, curabunt. Sancta enim res est Matrimonium, & sanctè tractandum.

Cùm verò puella seu sponsa in domum viri traducenda est, monitu Sacerdotis parentes, fratres & cognati eius eam instruere debent de timore Dei, de honorandis soceris & affinibus, de dilectione viri, de regenda domo, & de seipsa irreprehensibili exhibenda cum alijs sanctis monitionibus, quemadmodum Raguel & Anna fecerunt Saræ filiæ suæ in eius dimissione, sicut Scriptura dicit: Et apprehendentes parentes filiam suam osculati sunt eam, & dimiserunt ire: monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere. *Tobiæ 10. d*

CONstituta igitur die, qua Matrimonium per verba de præsenti contrahendùm est, omnibus anteà expeditis circa dotem, alijsq. ad nuptias pertinentibus, secundùm iura, & conuentionem partium compositis & paratis, sponsus & sponsa conueniunt coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarij sui expressa licétia, præsentibus eorum parentibus, si illos habuerint, alijsq. vtriusque consanguineis & propinquis: aut (si ita fieri expediat) præsentibus saltem dicto Parocho seu Sacerdote, & duobus vel tribus testibus, qui (si in Ecclesia celebretur Matrimonium) sistant se pro foribus, vel ante altare maius, vel aliud: si alibi extra Ecclésiam, in loco decétiori domus: & Sacerdos accedit superpelliceo & stola alba indutus, comitatus vno vel duobus Acoluthis superpelliceo etiam indutis, deferentibus librum & vas cum aqua benedicta & aspersorio, qui se constituant ad dexteram Sacerdotis à tergo: ipse autem Sacerdos stet medius inter sponsum

ſum à dextris, & ſponſam à ſiniſtris, alijs in modum coronæ circumſtantibus: ita vt parentes puellæ ſtent ad ſiniſtram prope puellam, & parentes viri prope illum ad dexteram. Aut ſi magis ſolenniter hæ nuptiæ celebrentur, Sacerdos poteſt indui amictu, alba, cingulo, ſtola & pluuiali, præſertim ſi ſit Epiſcopus, accipiat hæc paramenta; ſi eſt ſecularis ſupra rocchettum, ſiue Regularis ſupra ſuperpellicеum cum cæremoniario, Cappellanis, atque alijs miniſtris, libro, & præcedente lumine & incenſo, aqua benedicta, & aſperſorio, vt ſuprà.

Quibus ſic ſtantibus, poterit Præſul ſeu Sacerdos, ſi opportunitas detur, aliqua breui ſermone de Matrimonij Sacramento, eiuſq. dignitate & ſanctitate perſtringere, omneſq. hortari vt deuotè & ſine ſtrepitu huius Sacramenti celebrationi interſint, quod coniunctionem Chriſti cum Eccleſia ſignificat.

Deinde ſponſum & ſponſam alloquatur, doceatq. vt ad pronuntiationem verborum, quibus ſingillatim vterque eorum interrogabitur, ore & explicitè reſpondeant, animoq. conſentiant. Aut ſi alter eorum, vel vterque eſſet mutus, aperto nutu, vel ſignis manifeſtis, aut ſcripto conſentiat.

Deinde procedat hoc modo, vulgari ſermone dicens, primùm viro.

N. Vis accipere N. hîc præſentem in tuam legitimam vxorem, ſicut præcipit ſancta mater Eccleſia? ℟. Volo.

Quo accepto reſponſo, interrogat ſponſam.

N. Vis accipere N. hîc præſentem in tuum legitimum maritum, ſicut præcipit ſancta mater Eccleſia? ℟. Volo.

Quo accepto reſponſo, Sacerdos proferẽs verba ſancti Euangelij, **Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet**, ponat dexteram ſponſi ſuper manum dexteram ſponſæ, & ſuperponat ſtolam in modum crucis ſuper complicatas manus dexteras vtriuſque, dicens:

Ego coniungo vos in matrimonium, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠ ter faciens ſignum crucis ſuper vtrumque.

Deinde aſpergat eos aqua benedicta, dicens:

Per huius aquæ benedictæ aſperſionem, det vobis omnipotens Deus ſuam gratiam & benedictionem. ℟. Amen.

De benedictione arrharum.

SI ſit conſuetudo in ſponſalibus per verba de futuro, vel de præſenti, benedicendi arrhas, vt armillas, monilia, zonas, faſcias pectorales, inaures, gemmas, margaritas, aut alias res, facit ſibi deferri eas ab vno ex Acoluthis vel Clericis in aliquo vaſe vel linteolo, & alter Acoluthus vel Clericus aderit cum vaſculo & aſperſorio aquæ benedictæ, vt ſuprà: Sacerdos benedicit eas in hunc modum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terrã.

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & vsque in seculum.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic Domine has arrhas, quas hodie tradit famulus tuus N. in manu ancillæ tuæ & dilectæ sponsæ suæ N. quemadmodum benedixisti Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Iacob cum Rachel: dona super eos gratiam tuæ benedictionis, abundantiam rerum, & constantiam operum; florescant sicut rosa in Hiericho plantata, & te Dominum nostrum Iesum Christum timeant, & adorent in secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DOmine Deus omnipotens Pater, qui in similitudinem sancti connubij Isaac cum Rebecca per intercessionem arrharum Abrahæ famuli tui copulare iussisti, vt oblatione munerum numerositas cresceret filiorum: quæsumus omnipotentiam tuam, vt harum oblatione arrharum, quas hodie hic famulus tuus N. dilectæ sponsæ suæ N. offerre procurat, sanctificator accedas, eosq. cum suis muneribus propitius benedicas ✠ quatenus tua benedictione ✠ protecti, & vinculo tuæ liberationis connexi, gaudeant se feliciter cum tuis fidelibus perenniter mancipari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sacerdos accipit aspersorium cum aqua benedicta & aspergit arrhas, & redduntur sponso, qui eas sponsæ cùm libuerit tradat.

Benedictio Annuli fidei, siue alterius qui datur pro eo.

DEinde defertur ab Acolutho Annulus in vase seu velo aut sudariolo & benedicit illum vt infrà.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terrã.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BEnedic ✠ quæsumus Domine annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus: ✠ vt quæ eum gestauerit, fidelitatem integram suo sponso tenens, in tua pace consistat, & voluntate permaneat: in amore tuo viuat & senescat, & multiplicetur in longitudinem dierum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

CReator & conseruator humani generis, dator gratiæ spiritualis, conditor æternæ salutis: tu Domine emittere digneris Spiritum sanctum tuum paraclitum de cœlis, & tuam sanctam benedictionem ✠ super hunc annulum: vt isti pariter armati virtute cœlesti, tuaq. pro-

tectione

tectione defensi, benedictionis ✠ tuæ munus percipiant in vitam æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat Sacerdos annulum aqua benedicta.

Postea sponsus accipiat annulum de manu Sacerdotis, & ponat eum in dextera manu sponsæ in digito quarto, scilicet annulari, dicens:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Et si sunt plures annuli, qui dandi sunt sponsæ, similiter benedicantur vt suprà.

Quo peracto Sacerdos legat preces sequentes. Antiphona.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo sancto tuo quod est in Hierusalē, tibi offerent Reges munera.

Gloria Patri. Et repetit Antiphonam. Manda Deus virtuti.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluum fac seruum & ancillam tuā. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, benedic ✠ adolescentes, vel si non sint iuuenes, coniuges istos, & semina semen vitæ æternæ in mentibus eorum; vt quicquid pro vtilitate didicerint, hoc facere cupiant. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, recuperatorem nostrum, qui tecum viuit & regnat in vnitate &c.

Oremus. Oratio.

Respice quæsumus Domine de cœlo sancto tuo super hanc coniunctionem, vt sicut misisti sanctum Angelum tuum Raphaelem pacificum ad Tobiam & Saram filiam Raguelis: ita digneris Domine mittere benedictionem super hos adolescentes vel coniuges famulos tuos, vt in tua benedictione permaneant, in tua voluntate persistant, & in tuo amore viuant & senescant, & multiplicentur in longitudinem dierum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

Benedicere ✠ dignare Domine quæsumus hunc famulum tuum, & hanc famulam tuam, vt in nomine tuo crescant, & pudicitiam conseruent, atque omnibus diebus tibi seruiant: quatenus vitæ peracto termino, tibi sine macula valeant adhærere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

Tunc Parochus describat in libro Matrimoniorum nomina coniugum & testium, diemq. & locum contracti matrimonij, vt suprà.

Deinde

Deinde si mane fuerit, & hora competens, & sponsi sint confessi peccata sua Sacerdoti, & parati ad suscipiendam sacram Eucharistiam, potest fieri benedictio solennis in Ecclesia per Sacerdotem cum Missa pro sponso & sponsa, vt sequitur: alioquin alio die festiuo, vel triduo ante consummationem Matrimonij.

De solenni benedictione nuptiarum.



AD perfectionem Matrimonij primæ nuptiæ à Sacerdote ex vetere instituto & antiqua Catholicæ Ecclesiæ consuetudine semper benedicendæ sunt: post desponsationem enim seruatis omnibus de more, primùm quidem, vt ad consulta Bulgarorũ docet S. Nicolaus Papa I. in Ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debent, Deo per Sacerdotis manum statuuntur; sicq. demum benedictionem & velamen cœleste suscipiunt. Et quartum Concilium Carthaginense tradit, sponsus & sponsa cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis, vel à paranymphis offerantur, qui cùm acceperint benedictionem, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

Cap. Nostrates. 30. q. 5.

Cap. 13. eâd. 30. q. 5.

Et quamuis primæ semper benedicendæ sunt, non tamen secundæ, quæ non benedicuntur iuxta canonem Vrbani Papæ III. cùm benedictio semel accepta satis sit, & communicetur alteri coniugi non benedicto, ac propterea iterari non debeat.

Cap. Vir autem. de secun. nupt.

Quare cauere debet, ne secundas nuptias improuidè benedicat, quando coniuges, vel alter eorum fuerunt in prioribus nuptijs semel benedicti: quod simpliciter intelligendum est de secundis nuptijs ex parte vtriusque vel alterius coniugum; non autem limitandum secus esse ex parte mulieris si non est benedicta, quia posset de nouo benedici, cùm sit contra expressum canonem præcitatum, qui ita dictat: VIR VEL MVLIER ad bigamiam transiens, non debet à presbytero benedici: quia cùm alia vice benedicti sint, eorum benedictio ITERARI non debet. Et sic solùm iteratio ponitur pro ratione prohibitionis.

Quod si secus fecerit, qui benedictionem celebrauit cum secunda, ab officio & beneficio suspensus, ab Ordinario ad Sedem Apostolicam mittendus est pro absolutione.

Cap. Cappellanum. de secun. nupt.

Caueat autem Sacerdos, ne pro benedicendis nubentibus, seu benedictione huiusmodi nuptiarum pecunias exigat, aut faciat alias indebitas exactiones, quæ prohibentur. Accipiat autem quæ iuxta laudabilem consuetudinem pia erga sanctam Ecclesiam deuotione fidelium introductam, offerri aut dari consueuerunt.

ANte consummationem Matrimonij, sponsus & sponsa confiteantur peccata sua: deinde statuto die veniant ad Ecclesiam, in cuius parochia sponsa domicilium habet, vbi in loco decenti ante altare eis præparato à Sacerdote Missam audiant, qui duas particulas consecret ad eos communicandos.

Missam celebret pro sponso & sponsa, quæ habetur in Missali, & hîc ponitur.

Quòd si hanc benedictionem fieri contingeret in Dominica vel alio festo solenni, cuius Missa omitti non posset, dicat Missam de Dominica vel festo cum **Gloria in excelsis.** &, **Credo in vnum Deum.** iuxta tẽporis qualitatem, & cum commemoratione dictæ Missæ pro sponsis, & reliquis, quæ pro cõmunione & cõplemento benedictionis in ea habentur.

Missa

Missa pro sponso & sponsa.

Introitus.

DEus Israel coniungat vos; & ipse sit vobiscum, qui misertus est duobus vnicis: & nunc Domine fac eos pleniùs benedicere te. Psalmus. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

EXaudi nos omnipotens & misericors Deus: vt quod nostro ministratur officio, tua benedictione potiùs impleatur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Ephesios. Cap. 5. e

FRatres: Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ipse saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo: ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquàm carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Veruntamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum. Graduale. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. ℣. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Alleluia, alleluia. ℣. Mittat vobis Dominus auxilium de sancto. Et de Sion tueatur vos. Alleluia.

Tempore Paschali Graduale omittitur, & additur sequens ℣. Benedicat vobis Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram. Alleluia.

In Septuagesima Tractus.

Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum. ℣. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. ℣. Et videas filios filiorum tuorum: pax super Israel.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore: Accesserunt ad Iesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus

con-

coniunxit, homo non separet. Offertorium.

In te speraui Domine, dixi tu es Deus meus: in manibus tuis tempora mea. Secreta.

Suscipe quæsumus Domine pro sacra connubij lege munus oblatum: & cuius largitor es operis, esto dispositor. Per Dominum nostrum.

Dicto Pater noster, Sacerdos antequam dicat, Libera nos quæsumus Domine, cooperit Sacramentum palla, & facta genuflexione in medio altaris ante illud, & pro reuerentia descendit per aliquem gradum à parte sinistra seu cornu epistolæ, & abluit digitos in alio calice: postea ascendit, & stans in ipso cornu epistolæ, vertit se ad sponsum & sponsam coram se ante altare genuflexos, & capitibus inclinatos: ita vt mulier sit à sinistris viri. Ac vbi est consuetudo, vno eodemq. velo seu pallio, aliove velamine serico aut lineo cooperit spatulas viri & caput mulieris: & ipse Sacerdos aliquantulùm versus ad Sacramentum dicit sequentem orationem in tono orationis Missæ.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: vt quod te auctore iungitur, te auxiliante seruetur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Deinde dicat in tono præfationis hanc orationem.

Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.
Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & iustum est.

Verè dignum & iustum est æquum & salutare nos tibi semper & vbique gratias agere Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, qui dispositis vniuersitatis exordijs homini ad imaginem Dei facto ideo inseparabile mulieris adiutorium condidisti, vt fœmineo corpori de virili dares carne principium; docens quod ex vno placuisset institui, nunquàm liceret disiungi. Deus qui tam excellenti mysterio coniugalem copulam consecrasti: vt Christi & Ecclesiæ Sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum. Deus per quem mulier iungitur viro, & societas principaliter ordinata ea benedictione ✠ donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluuij est ablata sententiam. Respice Domine propitius super hanc famulam tuam, quæ maritali iungenda consortio, tua se expetit protectione muniri. Sit in ea iugum dilectionis & pacis: fidelis & casta nubat in Christo, imitatrixq. sanctarum permaneat fœminarum. Sit amabilis vt Rachel viro suo, sapiens vt Rebecca, longæua & fidelis vt Sara. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor præuaricationis vsurpet: nexa fidei mandatisq. permaneat: vni

toro iuncta, contactus illicitos fugiat, muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecundia grauis, pudore venerabilis, doctrinis cœlestibus erudita. Sit fœcunda in sobole, sit probata & innocens, & ad beatorum requiem, atque ad cœlestia regna perueniat; & videant ambo filios filiorum suorum vsque ad tertiam & quartam generationem, & ad optatam perueniant senectutem.

Hic Sacerdos, si præfationem cantauit, mutet vocem, & dicat planè; ita tamen vt ab astantibus exaudiri possit, Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum. Amen.

Postea dicat in tonio lectionis.

ORemus fratres charissimi omnipotentem Deum, qui ad multiplicandam humani generis prolem benedictionis ✝ suæ gratiam largiri dignatus est, & deprecemur, vt hos famulos suos N. & N. quos ad coniugalem copulam præelegit, ipse custodiat. ℟. Amen.

Det eis sensus pacificos, pares animos, mores mutua charitate coniunctos. ℟. Amen.

Habeant quoque optatas suo munere soboles, quas sicut donum ipsis tribuit, ita benedictionem ✝ consequantur, vt hi famuli sui in omni eidem cordis humilitate deseruiant, à quo se redemptos & dicatos esse non dubitant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc velum seu pallium remouetur à sponsis, vbi mos est illud eis imponendi.

Quibus dictis, Sacerdos iterum ablutis digitis, & facta priùs genuflexione ad Sacramentum, vt suprà, conuersus ad medium altaris accipit patenam cum hostia, & dicit: **Libera nos quæsumus Domine.** frangit hostiam & prosequitur Missam.

Dicto **Agnus Dei.** & prima oratione, dat pacem sponso, qui dat sponsæ, vel potiùs Acoluthus seu Minister vtrique instrumentum pacis osculandum præbet.

Deinde post communionem Sacerdos eos communicat, dicto priùs **Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, & Domine non sum dignus.** vt dictum est suprà de Sacramento Eucharistiæ, pag.296. & seq.

Quibus communicatis, abluit digitos, se purificat, detergit & cooperit calicem more solito, & prosequitur Missam.

Communio.

ECce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum; & videas filios filiorum tuorum, pax super Israel.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus, instituta prouidentiæ tuæ pio amore comitare, vt quos legitima societate connectis, longæua pace custodias. Per Dominum.

Dicto **Ite, Missa est.** vel **Benedicamus Domino.** secundùm qualitatem Missæ, Sacerdos antequàm benedicat populo, descendit ab altari

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens misericors Deus, qui primos parentes nostros Adam & Euam sua virtute creauit, suaq. benedictione sanctificauit, & in societate sancta copulauit, ipse corda & corpora vestra sanctificet ✠ & benedicat, ✠ atque in societate & amore veræ dilectionis coniungat. Et qui vnigenitum filium suum Dominum nostrum Iesum Christum redemptorem mundi voluit de Virgine nasci, qui sua præsentia, suoq. miraculo nuptias consecrauit, quando aquam in vinum conuertit, ipse nuptijs vestris interesse, vosq. sanctificare ✠ & benedicere ✠ dignetur: Concedat vobis quieta tempora, sanitatemq. mentis & corporis, gaudium ex procreatione filiorum vestrorum; & post finitos huius vitæ labores, faciat vos feliciter peruenire ad consortium sanctorum Angelorum. Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

BEnedicat vos Deus & custodiat vos Dominus Iesus Christus ✠ ostẽdatq. faciem suam in vobis, & misereatur vestri: conuertat Dominus vultum suum ad vos, & det vobis pacem: impleatq. vos Dominus omni benedictione spirituali in remissionem peccatorum vestrorum, vt habeatis vitam æternam, & viuatis in secula seculorum. *Tobia 7.d* ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

PRotegat & liberet vos Dominus in nocte, in die, in lecto, in sede, in statu, in campo, in domo, dormiendo, vigilando in quocunque loco habitaueritis, & in omni itinere, quo perrexeritis: atque prosternat Dominus omnes aduersarios vestros ante vos, inuisibiles & visibiles: & conseruet Dominus omnipotens quinque sensus vestros, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum: & vobiscum faciat Dominus mansionem condignam in cœlo, & vos dignetur suscitare in nouissimo die in resurrectione iustorum ad æternam vitam: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

Benedictio thalami vel cubiculi sponsorum in domo, ipsis manentibus genuflexis, sponso ad caput lecti, sponsa ad pedem lecti, è regione tamen.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terrã.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

Benedic ✠ Domine thalamum hunc, & omnes habitantes in eo, vt in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & in tuo amore viuant & senescant, & multiplicentur in longitudinem dierum, ac demum perueniant ad regna cœlorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat thalamum aqua benedicta.

Benedictio panis & vini inter sponsum & sponsam dispertiendi, vbi est consuetudo.

Tunc Sacerdos benedicit panem & vinum, dicens:

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Ad panem. Oremus. Oratio.

Benedic ✠ Domine creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto: vt omnes gustantes ex eo tam animæ quàm corporis recipiant sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad vinum. Oremus. Oratio.

Benedic ✠ Domine hunc potum & hoc vasculum, sicut benedixisti sex hydrias lapideas in Cana Galilææ: & vt fecisti vinum de aqua, sic benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris hunc potum, & hoc vasculum, vt sint sani & sobrij atque immaculati omnes, qui ex eo gustauerint. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et vtrumque aspergat aqua benedicta.
Deinde frangat panem, & det vnam partem sponso, & alteram sponsæ: & sic etiam de vino.

Benedictio mulieris, cùm primùm post partum actura gratias Deo venit ad Ecclesiam, quod vulgò dicitur, intrare in sancta.

Secundùm veterem legem Moysi præceptum erat, vt mulier quæ suscepto semine peperisset masculum immũda esset septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ: & die octauo circumcideretur infantulus:

lus: ipſa verò trigintatribus diebus maneret in ſanguine purificationis ſuæ; & ſic quadraginta dies poſt partum maſculi, omne ſanctum non tangeret, nec ingrederetur in ſanctuarium, donec implerentur dies purgationis ſuæ. Sin autem fœminam peperiſſet, immunda eſſet duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menſtrui: & ſic quatuordecim diebus: & deinde ſexagintaſex diebus maneret in ſanguine purificationis ſuæ. Et ſic octoginta diebus poſt partum fœminæ: quibus expletis, cum muneribus in holocauſtũ, & pro peccato veniret ad oſtium tabernaculi & traderet Sacerdoti, qui offerret illã coram Domino, & oraret pro ea: & ſic mundaretur à profluuio ſanguinis ſui, vt legere eſt in Leuitico. Quia tamen lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, ideo poſtquàm vmbra legis euanuit & illuxit veritas Euangelij, ſi mulieres poſt prolem emiſſam acturæ gratias Eccleſiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole grauantur: nec eſt Eccleſiarum eis aditus denegandus, ne pœna illis conuerti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquãdiu ſe ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinere, deuotio earum non creditur improbanda: imò ſi mulier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat Eccleſiam, nullo pondere peccati grauatur, vt beatus Gregorius ſcripſit. Leuit.12.b B.Greg.epiſt.31.vel 32.Nicol.PP.ad conſulta Bulgar.c.63. Bed.lib.1.de hiſt.Angl.c.27.

Cùm autem mulier ad Eccleſiam venerit, ſi ex deuotione voluerit, Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola indutus, cum clerico ſeu miniſtro, ſtans pro foribus in limine Eccleſiæ conuerſus ad eam, quæ maneat genuflexa, & præ manibus teneat candelam accenſam, dicit.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Et incipit Antiphonam. Hæc accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo: quia hæc eſt generatio quærentium Dominum. Et proſequitur Pſalm. XXIII. Domini eſt terra & plenitudo eius. totum cum Gloria Patri. vt ſuprà pag.443. Quo expleto repetit Antiphonam. Hæc accipiet benedictionem à Domino &c.

Deinde dicit Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluam fac ancillam tuam Domine. ℟. Deus meus ſperantẽ in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui per Moyſen famulum tuum Iſraeliticæ plebi mandaſti, vt mulier, quæ maſculum peperiſſet quadraginta diebus: quæ verò

fœminam, octoginta ab ingressu templi sequestraretur: quæsumus, vt hanc famulam tuam N. ab omni inquinamento peccati mundare digneris: quatenus mente & corpore munda, sinum sanctæ matris Ecclesiæ valeat penetrare, & tibi pro suis delictis acceptabile munus offerre. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat eam aqua benedicta, & porrigens ei extremitatem stolæ ad manum dexteram; eam habentem candelam accensam in manu sinistra, introducit in Ecclesiam, dicens:

Ingredere in templum Dei, adora filium beatæ Mariæ virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.

Et ipsa ingressa, genuflectit in gradibus altaris, & orat, & gratias agit Deo de prole suscepta, & sua incolumitate, & alijs beneficijs sibi collatis. Et Sacerdos dicat sequentes versus & orationes.

℣. Post partum virgo inuiolata permansisti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis.

℣. Saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Benedicat te Domine in omni tempore. ℟. Semper laus tua in ore eius.

℣. Domine exaudi orationẽ meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Deus qui salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fœcunda humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.

Absolue quæsumus Domine delicta famulæ tuæ N. & à peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxit, tua benignitate liberetur.

Prætende Domine famulæ tuæ dexteram cœlestis auxilij, vt te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et benedicens eam signo crucis, dicit:

Benedicat tibi Dominus ex Sion, ✠ & videas filios filiorum tuorum. Pax tibi. Amen.

Et ipsa surgens offerat aliquid Sacerdoti, & det ei candelam accensam, & osculetur eius manum: & si est hora Missarum audiat Missam. Sacerdos autem celebrans Missam illius diei seu de tempore: vel si voluerit poterit dicere Missam votiuam de purificatione beatæ Mariæ semper Virginis, demptis in prima oratione verbis (hodierna die) vel Missam de sancta Maria, quæ dici consueuit à Natiuitate Domini vsque ad Purificationem.

De benedictione fœtus in vtero matris, de cuius periculo dubitatur: & pro matre, quæ fœtum in vtero retinere non potest.

CVm prægnantium mulierum, quæ concipiendi gratiam consecutæ sunt, etiam philosophorum præceptis ratio & cura non mediocris habenda sit, & ab ipsismet & à maritis & parentibus earum, tum in victu, ne subtili vtantur alimonia; tum in exercitatione, vt non pigrescant, sed breui vtantur itinere ad sacra templa visenda, & ad orationes; & in reliquis vitæ huius actionibus, & ne vel nimio onere aut labore & fatigatione, aut difficili itinere, aut equitatione vel carrucarum & rhedarum vectatione abortum faciant: tum maximè Christianis & fidelibus id curæ esse debet, propter periculum fœtuum & partuum ne sine Baptismo pereant.

Quòd si prægnantes aliquo morbo laborant, aut in alio discrimine versantur, quo facilè abortus sequatur: vel conceptus fœtus in vtero retineri non possit aut consueuerit: his profectò casibus præter naturalia medicamenta, quæ peritorum consilio medicorum adhiberi possunt, coniuges seu parentes & præsertim mulieres, debent confugere ad Deum, eiusq. opem, omnipotentiam & misericordiam implorare, vt fœtum retinere, & ab omni periculo seruare dignetur, & ad id sanctissimæ virginis Dei genitricis Mariæ, & Sanctorum auxilium inuocare, Ecclesias adire; orationes, & alia bona opera facere, Parochi & Confessarij se precibus & sacrificijs commendare, & eorum benedictionem etiam sæpiùs expetere.

Tunc autem parata aqua benedicta, Sacerdos superpelliceo & stola indutus comitatus à clerico, hoc modo benedicit fœtum in vtero matris. Adueniens mulier prægnans coram altari: & genuflexa tenet faciem contra altare, & Sacerdos positis genibus primùm mente super eam deuotè orat: deinde surgit & versus ad eam dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis tuæ adorare vnitatem: quæsumus vt eiusdem fidei firmitate

ab

ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Alia oratio.

Domine Deus omnium creator, fortis & terribilis, iuſtus atque miſericors, qui ſolus bonus & pius es, ſolus præſtans, ſolus iuſtus, omnipotens & æternus, qui de omni malo liberas Iſrael, qui feciſti patres electos quoslibet, & ſanctificaſti eos munere Spiritus ſancti Hieremiam videlicet Ioannem Baptiſtam, & virginem glorioſiſſimam Mariam in vtero, poſt conceptum abſque omni decurſu temporis, & alios ſecundùm gradus varios antequàm more ſolito naſcerentur: accipe ſacrificium cordis contriti quæſumus, ac feruens deſiderium famulæ tuæ N. humiliter ſupplicantis pro retentione & conſeruatione prolis debilis, quam dediſti eam concipere, & cuſtodi partem tuam, atque ſanctifica immenſa benedictione tuæ gratiæ, & defende ab omni dolo & iniuria diri hoſtis: necnon à quibuslibet aduerſitatibus crudelibus & iniquis, vt ad lucem præſentis vitæ iucundiſſimam, obſtetricante manu tua, veniat incolumis, ac Baptiſmi gratiam percipiat, tibiq. in omnibus iugiter deſeruiat, & vitam conſequi ſempiternam finaliter mereatur. Per Dominum. ℟. Amen.

Poſteà aſpergatur aqua benedicta, & dicatur Pſalmus. Deus miſereatur noſtri. totus cũ Gloria Patri. vt in Laudibus defunctorũ, pag. 426.

Deinde ℣. Benedicamus Patrem & Filium cum Spiritu ſancto.

℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſecula.

℣. Angelis ſuis Deus mandauit de te.

℟. Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Viſita quæſumus Domine cunctam habitationem eius, & omnes inſidias inimici ab ea, & à præſenti famula tua longè repelle, & Angeli tui ſancti habitent in ea, qui eam, & eius prolem in pace cuſtodiant, & benedictio ✠ tua ſit ſuper eos ſemper: ſalua eos omnipotens Deus, lucem tuam eis concede perpetuam. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Specialiter verò ſuper mulierem, quæ debilitate aut infirmitate aliqua conceptum fœtum in vtero retinere non poteſt, dicat hos duos ſequentes verſus Pſalmi primi.

Et erit tanquàm lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum; quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Et folium eius non defluet: & omnia quæcunque faciet, proſperabũtur.

Et imponens manum ſuper caput mulieris, orans dicit:

Ieſus Mariæ filius, mundi ſalus & Dominus, qui eidem beatiſſimæ virgini

gini Mariæ matri suæ felicem partum tribuit, ipse tibi concedat in vtero portare, fouere, retinere, parere, & benè nutrire prolem Deo & hominibus gratam. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. Amen.

Posteà aspergit mulierem aqua benedicta, & dat ei benedictionem, dicens:

B enedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat & sit super te, & super prolem tuam, & maneat semper. ℟. Amen.

Pro tollenda sterilitate mulieris, & sobole impetranda.

CVm fœcunditas fœminæ & susceptio sobolis sit diuini muneris gratia, dicente Iacob ad Rachel vxorem suam: Nunquid pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? & exemplo patris eius Isaac, qui deprecatus est Dominum pro vxore sua, eo quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. mulier sterilis & infœcunda & vir eius debent ad Deum cum precibus & votis omni humilitate & deuotione confugere, vt fecit Anna mater Samuelis, & ad patrocinium beatissimæ semper virginis Dei genitricis Mariæ & aliorum Sanctorum confidenter recurrere pro obtinenda prole, & visitare loca sancta. Et faciant celebrari Missas de sanctissima Trinitate, vel de Spiritu sancto, vel etiam de Dominica post purificationem, & fieri orationes à personis pijs & religiosis, & eleemosynas pauperibus & locis pijs erogari. Et demum mulier ipsa infœcunda se commendet orationibus sui Parochi & Confessarij, & dicta die pro oratione & benedictione veniat ad Ecclesiam, & Sacerdos indutus superpelliceo & stola genuflectit ante altare maius, vel aliud in aliqua Cappella, & mente orat pro ea ad Dominum: & deinde surgens facit orationem super eam, quæ interim manebit genuflexa, in hunc modum. Gen.30.a.

I n nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Antiphona. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas filios filiorum tuorum, & vsque in tertiam & quartam generationem. Psalmus. B eati omnes qui timent Dominum. totum cum Gloria Patri. suprà pag. 351. Et repetitur Antiphona. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas filios filiorum tuorum, & vsque in tertiam & quartam generationem.

K yrie eleison. C hriste eleison. K yrie eleison.

P ater noster. A ue Maria. C redo in Deum.

Quibus dictis, Sacerdos subiungat:

℣. Sal-

℣. Saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Sint filij tui ſicut nouellæ oliuarum. ℟. In circuitu menſæ tuæ.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus qui emortuam vuluam Saræ ita per Abrahæ ſemen fœcundare dignatus es, vt ei contra ſpem ſobolis, filius naſceretur: præſta famulæ tuæ N. pro ſua ſterilitate deprecanti, vt mœrorem infœcunditatis ab ea ſubmoueas, & ad concipiendam ſobolem ei fœcunditatem tribuas, & filium, quem donaueris clementer benedicas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

MAieſtatis tuæ clementiam Deus Pater omnipotens ſuppliciter exoramus, vt preces noſtras pro ſterilitate famulæ tuæ N. benignus aſſumas, & ei prolem, tibi & hominibus gratioſam, concedere digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſthæc aſpergit eam aqua benedicta, & imponit vt ſæpe dicat, vel dici faciat prædictum Pſalmum. Beati omnes qui timent Dominũ. ſuprà pag. 351. & Pater noſter. & Aue Maria. & Credo in Deum.

Vtq. nonniſi honeſtè cum viro ſuo, & pudicè actum matrimonialem exerceat, ſicut Sanctos & Chriſtianos decet.

Orationes pro impeditis in matrimonio à dæmone vel maleficijs.

SAcerdos cum ſuperpelliceo & ſtola Clerico miniſtrante, dicat ſuper virum & mulierem impeditos conſummare matrimonium, ſequentes orationes.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte Dei & beatæ Mariæ virginis filius, qui in paradiſo terreſtri matrimonium inſtituiſti in officium, conſeruationem, & multiplicationem humanæ naturæ; & ipſum matrimonium mirabiliter honoraſti in aduentu tuo; & primordijs miraculoſorum tuorum: tu per merita & preces beatiſſimæ virginis Mariæ matris tuæ, beatorum Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli, vel ſanctorum tuorum N. & N. vel beati Vincentij confeſſoris tui, & omnium Sanctorum & Sanctarum tuarum, digneris hos famulos tuos, quos matrimonialiter coniunxiſti, benedicere ✠ ac plenè liberare ab omni ligatura, faſcinatione & maleficio Satanæ; & dare eis fœcunditatem & gratiam, vt liberè poſſint vti matrimonio ſuo ad generandas, concipiendas, portandas, parien-

pariendas, ac nutriendas proles Deo & hominibus gratas.

In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. Amen.

Deinde dicantur Psalmi sequentes omnes integri & cum Gloria Patri, videlicet Psalmus III.

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.

Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltas caput meum.

Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.

Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi: quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circundantis me: exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri &c.

Psalmus XC. Qui habitat in adiutorio Altissimi. suprà pag. 315.

Psalm. CXXVII. Beati omnes, qui timent Dominum. suprà pag. 351.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluos fac seruum tuum & ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui vterum beatæ Mariæ semper virginis mirabiliter fœcundasti, vt de Spiritu sancto conciperet, portaret, pareret, ac nutriret: te Deum & hominem Saluatorem humani generis inuocamus per clementiam tuam: vt his famulis tuis N. & N. sublato omni dæmonis impedimento & maleficio, liberum coniugij vsum & fœcunditatem donare digneris, vt generare, concipere, portare, parere, ac nutrire tibi valeant prolem in vitam æternam. Amen.

In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. Amen.

Tunc dicat Psalmum primum cum quatuor sequentibus versibus vsque ibi prosperabuntur. Psalmus.

Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum: & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.

Sed

Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquàm lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium eius non defluet: & omnia quæcunque faciet prosperabuntur.

Et in fine Gloria Patri.

Tunc Sacerdos imponens manus super capita primò viri, postea mulieris, dicat:

In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. Amen.

Ite in pace, & Dominus sit vobiscum. ℟. Amen.

